BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
22 E
M 13

# DE VITA MIRACVLIS ET ACTIS CANONIZATIONIS SANCTI DIDACI

*LIBRI TRES*

A FRANCISCO PEGÑA

Sacri Palatij Apoſtolici Auditore deſcripti

*AD PHILIPPVM II.*

*Hiſpaniarum Regem Catholicum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA ... EMANUELE



ROMAE, In Aedibus Populi Romani, M D LXXXIX.

APVD GEORGIVM FERRARIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

# *E L E N C H V S   E O R V M*

*quæ in hoc volumine continentur.*


De vita, ſanctitate & miraculis S. Didaci dũ viueret editis. Lib. I. pag. 1

De obitu S. Didaci, & miraculis poſt eius mortem editis. Lib. II. pag. 33

De actis Canonizationis S. Didaci, in quo plene agitur de ritu Canonizandi Sanctos. Lib. III. pag. 117

Litteræ Decretales Sixti V. de Canonizatione S. Didaci. pag. 182

Officium in Feſto ſancti Didaci recitandum. pag. 207

Miſſa in Feſto ſancti Didaci. pag. 218

Marci Antonij Cardinalis Columnę Relatio de vita & miraculis ſancti Didaci. pag. 220

Pompeij Arigonij Conſiſtorialis & Regis Catholici aduocati Oratio de vita & miraculis ſancti Didaci. pag. 228


Lib. 3. c. 11 *Huius operis ſcriptor cum in hac cauſa Canonizationis aduocati officio functus ſit, acta geſtaq. omnia diligenter ac integra fide conſcripſit: eademq. in gratiam eorum, qui latine neſciunt, vulgari idiomate propediem in lucem dabit.*

# PHILIPPO HISPANIARVM REGI CATHOLICO.

NEMO eſt qui neſciat PHILIPPE Rex, Sanctorum geſta & glorias eo cõſilio in Eccleſia Dei, populo fideli proponi, vt debitus illis honor deferatur, & nobis virtutum omnium exempla monſtrentur: quæ dum frequenti hominum ſtudio publice priuatimq. celebrari perſpicimus, agnoſcamus, illos in cælo æuo ſempiterno perfrui, cum tanto ſplendore, tam inſigni ritu, & totius populi lætitia, eorum celebritates frequententur. Enimvero cum a ſalutis noſtræ aduerſariis quotidiano & aſſiduo bello vel vrgeamur, vel impugnemur; facile quidem Sanctorum virtutibus, vitæ ſplendore, & exemplis prouocati, pugnam ex animo ſuſtinemus: vt non ſolum hoſtes ſubmouere, ſed illos premere & profligare poſſimus; donec tandem parta glorioſa victoria vna cũ Beatorum cœtu triumphemus. Nam quis vmquam fuit, qui eorum cuperet & meritis & felici ſocietati coniungi, niſi prius illorum conſtantiam teneret, ſectaretur fidem, humilitatem, patientiam, & tolerantiam diſceret, imitaretur virtutes, ſimiles denique labores ſuſtineret, & alacriter pateretur?

Proponuntur nobis fortiſſimi Martyres, clariſſimi Confeſſores, puriſſimæ & mundiſſimæ Virgines tamquam exempla virtutum, vt eorum pietatem atque conſtantiam in animos noſtros imitatione traducamus: Quæ cum ſint velut indices viarum lapides, qui rectum ad cælum iter oſtendunt; eorum profecto ope conſequimur, ne quis noſtrum a recto inſtituto deflectens, in hoſtium poteſtatem incurrat. Omnes Chriſtiani Orbis prouinciæ, poſtquam Catholicam veritatem pie & fideliter amplexæ ſunt, tales virtutũ magiſtros protulerunt, qui ad ſanctitatem fideles populos informarent, & Diuina gratia ſubnixos ad virtutem & pietatem impellerent. Hiſpania vero quot qualesve ſingulis ſæculis & ætatibus clariſſimos ac ſanctiſſimos Viros militanti Eccleſiæ, in triumphante poſtea regnaturos pepererit, Hiſpani potiſſimum Scriptores, qui vel ex inſtituto Sanctorum vitas deſcribendas ſuſceperunt, vel perpetua oratione Hiſpaniæ res geſtas conſcripſerunt, qua quiſq. ætate Sanctus vixerit, & mortem obierit, litterarum monumentis tradiderunt. Hæc enim prouincia cum multis profecto nominibus clariſſima ſit, hoc in primis habenda eſt illuſtrior, quod omni fere ætate & tempore Viros ſanctitate inſignes produxerit, qui Spiritu ſancto fauente, ne dum per ſanctas virtutum omnium actiones & operationes æternam ſibi vitam promeruerunt, verum etiam a Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum magiſtra, hanc inſignem laudem & gloriam adepti ſunt, vt per ſol-

lemnem

lemnem Apotheoſim ſiue Canonizationem, in Sāctorum (quos certo profitemur felici Dei gloria perfrui) cœtum & numerum adſcriberentur, & cunctis fidelibus populis colendi & imitandi proponerentur.

Ex quo plane Sanctorum Hiſpaniæ ingenti & glorioſo numero, vnus nunc occurrit Sanctus Didacus, qui cum ſumma perfectione Chriſtiana, & omni vitæ integritate, quam editis quoque miraculis teſtatā eſſe voluit benignus & miſericors Deus, mortalis huius vitæ peracto curriculo, ad felicem illam & vere cæleſtem vitam felici commutatione tranſiuiſſet, eiusq. ſanctitatem inſignia & frequentia miracula plurimum commendaſſent, & propterea MAIESTATEM Veſtram commouiſſent, vt a Sede Apoſtolica piis & frequentibus precibus flagitaret, vt illum Sanctorum Catalogo adſcriberet: tandem effectum fuerit, vt non ſolum Hiſpaniæ cōmuni lætitia, ſed totius etiam Orbis alacritate per S.D. N. SIXTVM V. Sanctus Didacus Canonizaretur, ideſt, declararetur & definiretur illum iam in cælo receptum, & cæleſti patria quaſi æterna ciuitate donatum. Laudauit tunc quidem maxime Sanctiſſimus SIXTVS Pontifex inſignem MAIESTATIS Veſtræ pietatem, laudauit ſacrum Cardinaliū Collegium, & Epiſcoporum qui in Vrbe aderant venerabilis cœtus, aſſiduum & ardens veſtræ religionis ſtudium commendauit, quo per viginti quinque & amplius annos Sanctiſſimos Romanos Pontifices Pium IIII. Pium V. Gregorium XIII.

& de-

& denique SIXTVM V. deprecari numquam deſtiterit, vt B. Didacum (ſi recto & legitimo Romanę Eccleſiæ iudicio fieri poſſet) canonizare dignarentur; donec tandem re feliciter peracta, piis MAIESTATI Veſtræ votis, Sedes Apoſtolica ſatisfecerit; quibus non modo vniuerſa Hiſpania, ſed totus Orbis Chriſtianus his vberrimis beneficiorum cumulis auctus, huius ſancti Viri interceſſionibus potiretur.

Eius ego ſanctiſsimi Viri vitam & miracula, ea potiſsimum cauſa cōſcribere auſus ſum, quoniam cum de concludenda Canonizatione ageretur, & in præcipuis grauiſsimæ cauſæ articulis aduocatus eſſem delectus, ac ſingula inſtrumenta, acta & teſtium dicta, quæ certa eſſent fide munita, vt in omnibus rebus ac præſertim ſeriis fieri debet, diligenter euoluiſſem; facile arbitratus ſum a me totius vitæ & geſtorum omnium narrationem fideliter exponi potuiſſe. His acceſsit, decuiſſe a viro Hiſpano, ſanctiſsimi Viri Hiſpani vitam & miracula deſcribi, vt quo quiſque ſtudio in ſuos affectus ſit, litteris & memoriæ commendaret. Quæ plane MAIESTATI Veſtræ optimo iure dicare debui, cum & piis & aſsiduis veſtris precibus tantum negotiũ fuerit promotum, & ad optatum finem perductũ; tum etiam vt hoc tam pio opere velut grati quodam animi ſigno, ingenue profiterer magnũ obligationis vinculum, quo ſum MAIESTATI veſtræ obſtrictus; cum me ſuperiori anno datis ad Sanctiſsimum SIXTVM V. litteris ampliſsimo hono-

re

re cumularit,vt in ampliſsimum Auditorum Rotæ Collegium ſua BEATITVDO cooptaret.

Deus Opt. Max. Maieſtatem Veſtram ad totius Chriſtianæ reipublicæ defenſionem,Hiſpaniæ,ceterorumq.Regnorum veſtrorum ſalutem,dignitatem & incrementũ diu ſeruet incolumem. Romæ xij.Kalen.Martij,Anno M D LXXXIX.

*MAIESTATIS Veſtræ*

Humillimus ſubditus

Franciſcus Pegña.



S.DIDACVS A SIXTO.V.PONT.MAX.CANONI
ZATVS ROMÆ DIE.II.IVLII ANNO.MDLXXXVIII.

# DE VITA SANCTITATE ET MIRACVLIS SANCTI DIDACI DE S. NICOLAO DEL PVERTO dum viueret editis.

AVCTORE FRANCISCO PEGÑA
Sacri Palatij Apoſtolici Auditore.

## LIBER PRIMVS.

### *De ſancti Didaci patria & natalibus.* *Cap. I.*

ORTVS eſt Sanctus Didacus in Prouincia Betica, in oppido cui nomen eſt, San Nicolas del Puerto, ditionis Hiſpalenſis. id ſitum eſt inter Conſtantinam & Cazzallam oppida optime Hiſpanis nota. Incertum eſt hactenus quo anno editus fuerit in lucem: cum tamen ad multam vixiſſe ætatem & prouecta ſenectute deceſſiſſe, conſtans fama tulerit: Cuius plane obitus cum in annum Domini MCCCCLXIII. inciderit, vt paulo poſt dicemus; conſequens eſt, eum ante annos MCCCC. aut prope ea tempora natum fuiſſe. Dubium quoq; eſt, quibus fuerit ortus parentibus, aut a quo prognatus genere; cum de eius familiæ nomine aut cognatione adhuc certis auctoribus compertum non fuerit. Et quamuis nonnullæ coniecturæ ſuadeāt eum humilibus procreatum maioribus, natiuos tamen eos ac pios fuiſſe Chriſtianos, filius ad tantam pietatem & ſanctitatem inſtructus,

facile indicio eſſe potuit. Nec refert nunc de eius generis nobilitate certare, cum illuſtriorem illum & clariorem incorrupti mores & vita ſanctiſſime acta, multisq. miraculis nobilitata reddiderint, quam clari natales aut maiorum ſplendor efficere potuiſſet.

## *Sanctus Didacus iuuenis vitam agit eremiticam.* *Cap. II.*

EGITVR quam excellens eximiaq. virtutis progreſſio in beato Didaco expectari oporteret, protinus ipſe ab incunte ætate demonſtrauit. Qui cum ſibi eſſet in animo veram paupertatem colere, & omnes mundi illecebras abdicare, eum viuendi inſtitutum ſuſcipiendum curauit, qui maxime pietatem foueret, & iter ad immortalitatem inſtrueret. Erat tunc non longe ab oppido ſancti Nicolai del Puerto, Eccleſia ſancti Nicolai veteris nuncupati, quod eum locum olim oppidani S. Nicolai incolerent. Hanc itaq; ſibi S. Didacus virtutum omnium exercitationi opportunam delegit, ibidemq. pie & ſancte longo tempore vitam eremiticam coluit, vna cum pio quodam Sacerdote innocentiæ ac ſanctitatis ſuæ teſte ac comite, & bonorum operum ſocio, cuius plane conſilijs familiariter vtebatur; vt facilius ad pietatem & ad ceteras virtutes eſſet inſtructior. Horum præcipuum inſtitutum erat, mentem ab omni terrena cogitatione abducere, in ſancto otio diuina myſteria contemplari, preces Eccleſiæ conſuetas aſſidue referre, animum rebus honeſtis, pijs orationibus & diuinis meditationibus intendere, optimis vitæ exemplis eius loci incolis prælucere, omnis ætatis & ſexus homines conſilio, opera, prudentiaq. iuuare, eosq. ad veram pietatem religionemq. traducere. Eleemoſynis præterea quas piæ fidelium manus liberaliter largiebantur, vitam parce ac duriter alebant, ijsq. non ad voluptatem, ſed ad neceſſariam conſeruationem vtebantur: nec plures colligebant quam viuendi neceſſitas poſtularet: quibus plane,

vt ait

vt ait S.Hieronymus, animam magis trahere quam ſuſtentare, & corporis vires non augere, ſed mortem prohibere poſſent. Reliquum vero temporis, quod a diuinis meditationibus & neceſſarijs naturæ actionibus liberum erat, non inerti & periculoſo otio (quod malorum quidem operum, aut ſaltem malarum cogitationum origo eſſe ſolet) torpentes traducebant; ſed vel ruſticanum hortum Eccleſiæ propinquum colebant, areolas limitibus diuidebant, varia olerum ſemina terræ mandabant, molles ac teneras plantas de ſeminario diligenter exemptas transferebant, ſulcis diſponebant, leniter irrigabant; vel diuerſa e Iunipero vaſcula, ſalina, cochlearia, leues ſcutulas, manuali induſtria conficiebant, quæ poſtmodum oppidanis, qui victui neceſſaria miniſtrabant, elargirentur; & quaſi illorum dona huiuſmodi honeſtis muneribus rependerent. *In Ezech. cap. 4.*

## *Regulam ſancti Franciſci profitetur, quam toto vitæ tempore inuiolabiliter conſtanterq. ſeruauit.*
## *Cap. III.*

CETERVM cum ſanctus Didacus his quaſi militiæ rudimentis inſtructus ad maiora Chriſtianæ religionis certamina properaret, cuperetq. arctioris obedientiæ vinculis alligari, & voluntariæ paupertatis, quam vnice diligebat, regulis, vitam & omnes ſuas actiones fideliter metiri; ſancti Franciſci religionem inire decreuit. Qui vt voti compos fieret, natalis ſoli Eremitorium, omnibus conuicinis ægerrime ferentibus ac collachrymantibus deſerit; & ad conuentum S.Franciſci de Arrizaffa non longe a Corduba ſe confert, ibidemq. Franciſcano habitu (illorum quos Obſeruantes vocant) rite ſuſcepto, communem cum alijs eiuſdem Ordinis fratribus vitam regulamq. profitetur. Vnus quidem omnibus erat habitus, vna omnibus regula, vnum pietatis inſtitutum; diſpar tamen eius obſeruationis ſtudium virtutumq. exercitatio. Nam S. Didacus quamtumuis laicus & de nume-

ro Conuerſorum, ac ſine humanarum litterarum peritia eſ-ſet, vſque adeo tamen perfecte tutiſſimam paupertatem coluit, obedientiam adimpleuit, caſtitatem ſeruauit, puriſsimam cordis ſimplicitatem toto vitæ curſu retinuit, profundiſsimam humilitatem amplexus eſt, ardentiſsimam charitatem erga Deum, proximos, & præſertim Chriſti pauperes, adamauit; feruentes ac frequentes orationes in Deum ſanctiſsimamq. eius genitricem, ac ceteros ciues cæleſtes direxit: vt nemo tunc illo fuerit pauperior, nemo præpoſitis obedientior, nemo caſtior, nemo purior, nemo diuina charitate ardentior, nemo in oratione feruentior, nemo deniq. in omni Chriſtianę vitę actione perfectior iudicaretur. Quod plane illi ipſi qui cum eo coniunctiſsime frequentiori conſuetudine virtutis & conuerſatione vixerunt, ex quibus nonnulli eius fuere prępoſiti, ſub quorum diſciplina ac inſtitutione vitam moreſq. compoſuit, luculento teſtimonio profitetur: illumq. tam ſtudioſe ac diligenter in omni fide, humilitate, obedientia, charitate, paupertate & caſtitate S. Franciſci regulam retinuiſſe atque ſeruaſſe, vt nullus eo quamdiu vixit, in ea colenda ſtudioſior fuerit atque conſtantior. Etenim tam perfecte in eius obſeruatione diligentem & ex animo curam & operam ponebat, vt non ipſe modo illam inuiolabiliter retinere, ſed etiam ab alijs ſedulo ac diligenter magno religionis zelo ſeruari contenderet. Quod plane omnibus, qui virtute ceteris anteire putabantur, admirationem faciebat. Illud vero maxime mirum & minime reticendum, Didacum virum alioqui rudem, & humanarum ſcientiarum prorſus expertem, regulam S. Franciſci totidem verbis didiciſſe, ac tenaci memoriæ commendaſſe, & ad perſcriptum illius adeo ſtudioſe vixiſſe, vt nullus ex grauiſſimorum virorum numero, qui hæc omnia teſtimonijs confirmarunt repertus fuerit, qui ab hac communi ſententia de B. Didaci vitæ ſanctitate, illuſtri omnium comprobata teſtificatione, diſſentiret.

Sanctus

## *Sanctus Didacus magno ſtudio paupertatem coluit. Cap. IIII.*

SED cum Regula S. Franciſci ſuos profeſſores in primis admoneat Euangelici inſtituti, vt ſine proprio abdicatis terrenis omnibus viuant, & patientia paupertatis ornentur, qua nihil præſtantius ad bene beateq. viuendum reperiri poteſt, nihil etiam perniciofius ac deteſtabilius pecuniarum ſtudio, quo veluti lethali veneno ſpiritualis vita extinguitur & ſancta profeſſio violatur: id plane de ſancto Didaco conſtanter traditum eſt, & multorum teſtificatione comprobatũ, eum neglectis terrenis omnibus, perfectam paupertatem coluiſſe. Cuius plane ſtudij, cum vitam eremiticam ageret, illud indicio fuit; quod licet, vt diximus, multa ſibi ab oppidanis offerrentur, ille neceſſarijs exigue contentus, cetera tamen vltro oblata reſpueret. Accidit vero cum ob eius paupertatis obſeruantiam omnibus charior fuiſſet, & Dæmoni formidoloſior ac infenſior, vt ex oppido S. Nicolai, quo quærendæ eleemoſynę cauſa profectus fuerat, ad ſuum Eremitorium reuerteretur, pecuniasq. a quibus omnino animo auerſus erat, nec quicquam de illis cogitauerat, in via diſperſas offenderet: qui ratus tamquam alter Antonius fabricante Dæmone, illic proiectas fuiſſe, vt ſuum animum præſenti pecuniarum illecebra demulceret, & a ſancto propoſito abſtraheret: quam ob rem putans oblatam pecuniam hoſtili dolo non carere, ſtatim ſe ſigno ſalutiferæ Crucis muniuit, hominemq. vocauit, qui eam humi tolleret, & in pios vſus impenderet. Itaque alacer atque lætus animo, Deum laudans, quod præſentem tentationem effugiſſet, in ſuum ſe domicilium ac ſedem abdidit. Difficile quidem eſſet perſequi quam diligenter reliquo vitę tempore in ſuſcepto ſemel inſtituto perſtiterit, paupertatem coluerit, eamq. vſque ad extremum vitæ ſpiritum ſeruauerit. Id plane ex ipſis rebus ac temporibus indicari poteſt; quod non ſibi aliquid vendicauerit, nihil tamquam optimus paupertatis

*Athanas. i vita Antonij.*

*Hieron. in Epiſt. ad Nepotianum.*

pertatis cultor, ac egregius diſtributor, vt ait s. Hieronymus, ſibi reſeruauerit: ſed afflictis omnibus opem tulerit, miſeris ac calamitoſis hominibus ſuccurrerit; & quod ipſi maxime ſalutare erat, eleemoſynis inopiam pauperum leuauerit. Ad poſtremum iam pene moriturus, vt paulo poſt copioſius dicemus, vt inſignem humilitatem & ingentem veræ paupertatis zelum indicaret, quamquam in lecto decumbens pauperrimam veſtem eſſet indutus, viliorem tamen habitum, quo inuolutus moreretur, ab ſtantibus Fratribus poſtulauit; vt extremis vitæ temporibus eſſet abiectior. Quem cum indueret, interna auctus animi lætitia eam manifeſtis indicijs demonſtrauit.

## *De inſigni Beati viri obedientia.* Cap. V.

CETERVM quemadmodum principes ſeculi ingenti manu ſuas tuentur ditiones, ſeq. regnum, ſubiectoſq. ſibi populos, vt in perpetua pace eſſe poſſint, militari præſidio & copijs defendunt; ſic in regularibus monachorum & fratrum congregationibus obedientia vnicum eſt præſidium, & tutiſſimum propugnaculum ad religioſam rempublicam tranquille muniendam ac gubernandam. Sola enim obedientia ſuauiſſimam pacem animis reponit, eximias præclaraſq. virtutes continet, mutuam animorum concordiam docet, iucundam vitę conſuetudinem ſeruat, beneuolentiam parit, charitatem, quæ vinculum eſt perfectionis paciſq. cuſtodit. Ea vero ſublata fœdera pacis violantur, vitę tranquillitas eripitur, ſchiſmata diſſenſioneſq. erumpunt, denique totius obſeruantiæ regulariſq. vitæ ſtructura ſubuertitur. Hic igitur Beatus cum huius virtutis magna pręſidia cōparaſſet, memor ſponſionis, qua in ordinem ſeraphicum fuerat ſuſceptus, tanta obſeruantia regulam Diui Franciſci, ad quam veluti ad vitæ pręſcriptum omnia dirigebat, ex animo ſeruauit, tanta ſimplicitate ac profunda humilitate maiorum inhęſit obſequijs, vt numquam abſque prępoſiti ſui ſcientia atque permiſſu,

miſſu, aliquid ſua auctoritate, & voluntate præſumpſerit. Amplectebatur, & quidem maxime, quęcumq. a maioribus pie prudenterq. pręcepta fuerant, ſine vlla cordis hęſitatione, quaſi a Deo eſſent cęlitus edita: & licet quandoq. imperata impoſſibilia viderentur, ea tamen fide & deuotione ſuſcipiebat atque ſeruabat, vt numquam conquereretur, numquam de maioribus murmuraret. Quibus artibus eruditus, abiecta viliaq. Monaſterij munia alacriter obire nitebatur, vt occultas ſuggeſtiones callidi hoſtis retunderet, & frequentes illius impetus incurſionesq. ſuperaret. Sed cum tranſlatus de vno in aliud Monaſterium humiliter & libenter paruiſſet, & prępoſitis etiam dura & difficilia imperantibus, vt diximus, minime repugnaſſet; difficillimum alioqui viro ſimplici & humanarum ſcientiarũ prorſus ignaro, Inſulas Canarienſes adeundi munus imponitur; vbi propter rabiem & oppidanorum ſęuitiam maxima religioſis, vt paulo poſt dicemus, vitæ pericula imminebant. At vir Beatus, & cęleſti ſapientia affluens, ne dum non ire recuſauit, ſed ex animo, vt præceptum obedientiæ adimpleret, in omnia ſeſe diſcriminum periculorumq. certamina intulit, vt ſi opus eſſet, pro Chriſti nomine, quod ſummum & perfectiſſimum charitatis eſt opus, martyrium ſubiret.

## *De mundiſsima ſancti Didaci caſtitate, & aſsiduo labore, quo eam ſeruare ſtuduit.*

## *Cap. VI.*

PRAETERRA caſtitatem inſigne animi & corporis ornamentum, malo Dæmoni pręcipue formidabilem, quæ viam in cęlum parat & ſimiles Deo nos facit, virtutem plane obtentũ difficilem, ſed pretioſam & viris religioſis in primis amplectendam, S. Didacus aſſiduo ſemper ſtudio retinuit. Nouerat enim vir diuinus ex libidinis vitio cęcitatem mentis, inconſiderationem, inconſtantiam, præcipitationem, amorem ſui, odium Dei, affectum præſentis ſęculi, horrorem deſpe- *S. Greg. lib. 31. Moral. c. 17.*

deſperationemq. futuri generari. Didicerat etiam multos obſcęno & teterrimo huius virtutis hoſte, quem nobiſcum circumferimus, victos ac perditos & in inferni profundum perpetuo adactos fuiſſe, ob idq. ſtudioſe curandum ne animus ſenſibus implicatus, blanda libidinis voluptate molleſceret. Qua de cauſa ſi quando titillaret ſenſus & prurienti corpori ſolita voluptatum incendia ſuggereret, protinus vir diuinus ad tuta caſtitatis præſidia confugiens, fame corpus conficiebat & ſiti, vt cibum potius quam laſciuiam cogitaret: oransq. frequenter & pſallens, manus honeſto cuipiam operi admouebat, vt ieiuniorum laborem, labor operis duplicaret. Interdum tam rigida corporis caſtigatione vtebatur, a capite ad talos vſque aſpere & vehementer ſe duris flagellis cedens, vt nemo illam humana virtute ferri poſſe arbitraretur. Ingrediebatur quandoq. ſancti Bernardi exemplo, nudus gelidiſſimas aquas, in quibus tamdiu permanebat, quouſq. per virtutem gratiæ cooperantis carnalis concupiſcentiæ calorem reprimeret, membrorumq. legem ſeuo gelu conſtringeret. Quo plane aſſiduo & laborioſo ſtudio incendia voluptatum extinxit, edomitisq. libidinibus peſſimas cogitationes vicit, laſciuientis naturę impetus compreſsit, caſtitatem ſeruauit & inuadentem ſæpe inuiſibilem hoſtem ſubegit.

*S. Hieron. in vita S. Hilarionis.*

*Lib. 1. c. 3. in vita S. Bernard.*

## *De puriſsima cordis Sancti viri ſimplicitate & munditia. Cap. VII.*

NEc tantum modo in hac ſola virtute excelluit, ſed maxime etiam in ſimplicitate quadam columbæ ſimillima, quę veram pietatem & Chriſtianam ſinceritatem illuſtrat. Hęc enim cum Deo, qui ab omni non tantum ſorde, ſed etiam quauis labe longe ſemotus eſt, gratiſsima ſit, propterea Chriſtus Dominus eos qui hac cordis ſimplicitate & munditia ornantur, beatos futuros & Deum viſuros prædixit his verbis: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Qua de cauſa viri

*Matt. 5.*

ſa viri ſancti, qui in ſimplicitate coram Deo ambulauerunt, hanc cordis munditiam votis ſupplicibus a Deo petebant; Dauid vero cor mundum a Domino ſummis precibus poſtulabat, cum hæc difficilis & rara ſit virtus, quæ niſi poſt multa aliarum virtutum pręſidia & ornamenta haberi non poteſt. Hęc vero duplex eſt, altera quę peccatis & inquinamentis libidinoſis opponitur, & communi nomine Caſtitas appellatur, in qua S. Didacum maxime excelluiſſe paulo ante docuimus. Altera, quę malis prauisq. de aliorum vita iudicijs & cogitationibus opponitur, & proprie Simplicitas dicitur; qua qui ornantur, nulli ſunt prorſus iniurij, nullas inimicitias ſuſcipiunt, aut odia exercēt, nulli etiam iniurijs laceſſiti conuiçium referunt; ſed tamquam pueri bene omnibus volunt, bene de omnibus ſuſpicantur. In qua plane virtute excolenda dici vix poteſt, in quantam ſui vir beatus homines admirationem impulerit. Omnes enim qui cum eo coniunctiſsime vixerunt, graui teſtimonio confirmant, Didacum minime de alijs prępoſtere iudicaſſe, aut verbum iniquum contra proximum protuliſſe, aut in aliquem ſermonibus aſperis incurriſſe ac conflictaſſe, aut quemquam obmurmurantem, vel ſecreto detrahentem tuliſſe. Solebat enim cum aliorum detractiones effugere nō poſset, omnia æqui boniq. conſulere, & in meliorem partem referre; detractores pia quadam ac ſuaui ſimplicitate obiurgare, ac vt in poſterum ſibi cauerent, affectu paterno conſulere. Fugiebat præterea verba otioſa, ſcurrilia, obſcœna; auerſabatur vaniloquia, quibus animus ab intenta in Deum cogitatione diſiungitur, ſemperq. de rebus pijs, honeſtis & quæ ad ædificationem aliorum pertinebant, cogitabat. Iugiter quoque Chriſti paſſionem, eiuſq. mortis acerbitates animo reuoluebat, illamq. die noctuq. meditabatur, & cum alijs de Chriſti cruce & tormentis ſermonem conferebat. Qua quidem virtute ornatus felix ac vir plane cæleſtis habebatur, cum nullo prauo iudicio cor ſuum, quo Deum videre expetebat, cōmaculari pateretur. Quod plane non leue erat ſuæ prædeſtinationis indicium. Si enim

*Pſal. 50.*

*Cap. eſto te. de Reg. iur.*

B teſte

ceſte Gregorio, reproborum proprium eſt bona aliorũ opera calumniari, & in peruerſum detorquere, vt vel inde ſe diaboli, qui a calumniando nomen habet, filiós oſtendant: ita electi bene de omnibus iudicare ſolent, omnia in bonam partem accipere, intellectum voluntatemq. tamquam mentis oculos charitate & columbina ſimplicitate purgatos in cælum referre, vt Deo mundiſſimo & omnis prorſus inquinamenti experti arctiſſime coniungantur.

## *De profundiſsima illius humilitate.* *Cap. VIII.*

SED cum humilitas ex cordis ſimplicitate & manſuetudine deſcendat, admirabantur plane omnes qui cum Beato viro conuerſari ſolebant, illius humilitatem in animo firmiſſime collocatam, qua ſe ſuaq. omnia alienæ ſubijciebat voluntati, modeſte minimeq. magnifice de ſe ipſo ſentiebat, ſeruum ſe inutilem appellabat, nullam in ſemetipſo ſufficientiam atque virtutem, ſed in Deo bonorum omnium auctore collocabat, ſemel ſuſceptam paupertatem æquo animo perferebat, in omnibus tranquillitatis, modeſtiæ, patientiæ, pietatis affectum exhibebat, vt in nullo proximos ſuos, ne verbo quidem contriſtaret aut læderet. Qua de cauſa cum ſe mortuum mundo cenſeret, ea quæ a maioribus imperata erant, ſine difficultate perficiebat, credens illa ſalubriter promulgata, vt ſuperius diximus. Præterea cum ad eum frequentes populi ex tota Hiſpania conuenirent, vt conſilium in dubijs, ſolatium in aduerſis, remedium in infirmitatibus morbiſq. depellendis poſtularent; quibus rebus mortalium animi intumeſcere, alijſq. omnibus ſe præferre ſolent; incredibile dictu eſt, quam ipſe humilior atque abiectior fieret, vt mitem Dominum, non in ſublimitate ſignorum, ſed in humilitatis virtute ſectaretur. Laudare tunc illum quidem multiſq. præconijs ob ſignorum atque virtutum opera extollere non ceſsabant: ſed ille eas laudes in
Iac. 1. ſolum Deum, a quo omne datum optimum, & omne donum

num perfectum procedit, referendas monebat. Vnde ne tã alieni corporis morbos expuliſſe, quã propriæ ſuæ animæ languores, in quos ſæpe ob naturæ infirmitatem incurrimus, curaſſe videretur; ſtatim ad conſueta abiectaq. ſui monaſterij munera obeunda humiliter reuertebatur. Deniq; cum humilitas in omnium rerum expoliatione ac nuditate conſiſtat, ille vt moriturus de ſuperbo dæmone triumphum ageret, habitum ſuæ religionis viliorem, vt diximus, induit, quo inuolutus humilem ac quietum ſpiritum Deo redderet. Hac ergo pretioſa humilitatis gemma decoratus mundi tumentem faſtum ſpreuit, inuiſibilis hoſtis occulte vanam ſuperbiæ gloriam ſuggerentis impetus ſuperauit: & per Dei gratiam dum vere ſe per humilitatis donum deiecit, ad Dei ſimilitudinem aſcendere meruit. *Greg. in Paſtor. pa. 3. admonit. 18.*

## *De charitate S. Didaci erga Deum, proximos & Chriſti pauperes.* Cap. IX.

CÆTERVM cum ex humilitatis virtute charitatis ac perfectionis culmen excreſcat, proinde S. Didacus tam ferventi charitate Deum diligebat, vt non modo peccata omnia ingenti mentis conatu, diuina gratia ſuffultus aufugeret, ſed etiam eos qui Dei præcepta violabant, aut regulares obſeruationes ordinis S. Franciſci tranſgrediebantur, acriter obiurgaret. In quo officij genere, nulli vnquam parcendum putauit. Nam ſi quem aliquando mortali crimine irretitum, aut ſine ſacramentali confeſſione caſu aliquo repente ab hac mortali vita raptum agnoſceret, vehementer animo angebatur, vbertimq. flebat. Ac tunc quidem maxime orationi intentus, brachijs primum in formam crucis protenſis, tum deinde complicatis, diuinam miſericordiam ardentius exorabat, ne ſe vel alios in tentationem & peccata induci permitteret. Viſus eſt etiam aliquando pro culpis & negligentijs aliorum acerba ſe caſtigatione punire, aſperamq. pænitentiam agere, vt Dei aduerſus homines iracundiam, indignationemq.

tionemq. auerteret. Ad hæc tam profuſa erat charitate, vt omnes benigne ſummoq. pietatis ſtudio diligeret. Nam cum plurimi ad eum frequenter medicinæ temporalis & ſpiritualis cauſa concurrerent, neminem a ſe triſtem aut eius ope deſtitutum abire paſſus eſt. Exercebat plane omne charitatis genus homo pauperrimus in Chriſti pauperes, quos vnice diligebat; & cum ianitor monaſterij eſſet, ad quem innumeri pene mendici quotidie confluebant, eis panem aliaq. cibariorum genera, quæ conquirere poterat, alacriter largiebatur. Itaq; cum liberaliter omnia pauperibus erogaret, ſæpe monaſterij præpoſiti ira correpti, eius profuſam largitatem incuſabant: Sed vir beatus eorum animos humilitate leniebat, monens id æquo animo ferendum eſſe, cum ex eleemoſyna copioſe tributa vberiores fructus prouenire ſoleant. Neq; eum ſua in hac re fefellit opinio, aut vana decepit ſpes, quam de diuina miſericordia conceperat. Etenim tam multa ad famem & ſitim ceteraſque pauperum egeſtates ſubleuandas vndiq; deferebantur, tanta etiam rerum copia & affluentia abundabat, vt omnes admirarentur vnde tam multa colligere, omnibus ad monaſterium confluentibus ſatisfacere, eis vbertim eleemoſynam impendere, egentes conſolari, eoſq. ſaturos & hilares poſſet dimittere. Cuius plane diuinæ largitatis & affluentiæ, quam S. Didaci meritis Dominus liberaliter conferebat, admirabile exemplum Romæ illuxit, vbi ipſe in Conuentu ſanctæ Mariæ de Aracæli curandis pauperibus præfectus eſt, vt ſuo loco dicemus. Præterea cum in Inſulis Canarienſibus in Conuentu de Fuerteuētura Guardiani officio fungeretur, ardenti iuuandi pauperes illius Inſulæ charitate inflammatus, ſæpe cum alijs eiuſdem monaſterij Fratribus ad metendas meſſes, colligendumq. frumentum, quo pauperes alerentur, proficiſcebatur. Sed rerum quandoq. premente inopia & benignæ largitatis deficiente materia, cum ſe pauperibus adeuntibus & conſuetam eleemoſynam petentibus quid eis largiretur in promptu non haberet, internum animi dolorem crebris ſingul-

tibus,

tibus, & profuſis lachrymis indicabat; & miſericordiæ viſceribus excitatus, vna cum illis eorum egeſtates ac ægritudines flebat. Equidem ſi tanto quiſq. perfectior eſt, vt ait Gregorius, quanto perfectius dolores ſentit alienos, perfectiſſimum fuiſſe B. Didacum fateri oportebit, cum maxime pauperum calamitatibus commoueretur. Omitto cetera huius generis multa, ne ea ſingillatim recenſere videar, quæ immenſi profecto operis fuiſsent. Illud adiungam, tanta eum in Chriſti pauperes & infirmos charitate fuiſſe, vt ſępe illorum tabida & purulenta vlcera manibus tergere, lingua lambere, ore complecti non exhorruerit.

## *Aſſiduum S. Didacum in oratione fuiſſe.* *Cap. X.*

SED vt in omni contritione cordis, ac paupertate ſpiritus Domino cohæreret, & paſſionum radices, quæ triſtitiam męroremq. operantur, ex animo funditus amputaret; crebro Dominum exorabat, eiuſq. opem deprecabatur, ne ipſe fortaſſe tędio, mentiſq. deſidia reſolutus ad antiquas animi perturbationes recurreret. Qua de cauſa Aegyptios monachos imitatus, in ſilentio mentis crebras ad Deum preces emittebat, familiariter ſuas curas cogitationeſq. Domino reſerabat, cum Chriſto miſcebat colloquia, vt hoc diuino clypeo munitus, inſidiantis Diaboli fraudes effugeret. Præterea acerbam Chriſti paſſionem, eiuſque duriſſimam mortem frequenter meditabatur, ac defixis in Ieſu Chriſti crucifixi imaginem oculis, peccatorum veniam humiliter exorabat. Sic quoq. erga beatiſſimam Virginem ſingularem gerebat deuotionis affectum, cuius quidem Coronam ſæpe recitans, raro eam e manibus deponebat. Quamobrem appoſite iam olim S. Didaci imago in peruetuſta tabella, quæ adhuc Compluti in eius ſacello cuſtoditur, depicta conſpicitur; vt altera manu crucem habeat oculis in eam defixis, vtraq. vero beatæ Mariæ Coronam ad preces recitandas. Similiter quoq. in quodam antiquo tapete prope ianuam eiuſ-
dem

*S. Didaci imago quo modo inueniatur depicta.*

dem ſacelli S. Didaci effigies ad viuum expreſsa eſt, genibus flexis, manibus ſurſum eleuatis, quibus prædictam coronam Virginis geſtat. Quantum vero ſingularis deuotionis ſtudium erga beatiſſimam Dei matrem B. Didacus geſſerit, quam eximie illam pieq. coluerit, eiuſq. auxilium aſſiduis precibus implorarit, illud profecto indicio eſse poteſt, quod præter cetera ieiunia, quæ alacriter exoluebat, omnibus peruigilijs beatiſſimæ Virginis in ſolo pane & aqua pietatis ergo ieiunarit. Deniq. cum rebus omnibus mundi poſthabitis mentem in vna oratione defigeret, tanta eius in deprecando Dominum pietas fuit, vt ſæpe multa auerſæ valetudinis hominibus auxilia afferret, a multis etiã (qui eius oratione ſubnixi ſingularia a Domino munera poſtulabant) grauiſſima pericula amoliretur, ac propulſaret, de quibus ſuo loco copioſe diſseremus.

## *De illius aſsidua pænitentia & continua corporis caſtigatione. Cap. XI.*

HAs omnes a nobis enumeratas virtutes aſſidua pænitentia comitabatur, qua diuerſis modis carnem ne ſibi inſultaret deprimens, eam in ſeruitutem redegit. Sic quoque vt omnes ſenſus ſpiritui, qui in Deum ſemper erat intentus, haud moleſte deſeruirent, ieiuniorum frequentia aſsequutus eſt; quæ tanta temperantia condiebat, vt cibos naturæ ſuſtentationi nõ voluptati tribueret. Nam quicquid ex tenuiſſimo victu ſibi comparcens detrahebat, in alimoniam pauperum conferens, eis veluti Chriſti viſceribus paſcendis ac ſuſtentãdis inuigilabat ex animo. Sed cum in Inſulis Canarienſibus oppidanos ex impietate ad fidem Catholicam traducere contenderet, ratus tam arduum ac difficile opus ſpeciali Dei auxilio egere, præter continuas orationes, optimum vitæ exemplum, aſsiduam ciborum abſtinentiam, crebraq. ieiunia, tam acri ſe corporis caſtigatione vexabat, vt vix quiſquam tam robuſti animi, magnæq. conſtantiæ reperiri

viri poſset, qui tam acerbam in ſe animaduerſionem adhiberet. Etenim a plantis pedum vſq. ad extremum capitis ſe totum virgis aſpere cędebat & flagellis vehementer lacerabat, nec quicquam duriſsimæ huius pęnitentię remitteret, aut in extremo vitę ſuę tempore releuaret. Quod plane in homine ętate graui, multiſq. laboribus pęnitentijſq. confecto prope miraculum videbatur, cum ſine Dei ſingulari pręſidio tam crebram aſperamq. corporis verberationem ferre non poſſet. In gelidam quoq. vt dixi nudus ſępe ingrediebatur aquam, vt laſciuientem naturam coerceret, & rebellatricis carnis impetus reprimeret. Quid multa? omnium hominum qui cum B. Didaco ſtudioſe conuerſati ſunt, non ſine magna admiratione vna vox fuit, neminem vſpiam eo tempore agnitum fuiſſe, qui duriorem aſperioremve in continuis pænitentijs vitam traduceret.

## *De mira beati Viri patientia & in perferendis tribulationibus tolerantia.* Cap. XII.

SED ne ille tantorum operum fructum amitteret, omnes virtutes patientia fulciebat; ne fortaſſe ſuum animum irruētibus tentationum procellis vexari aut frangi aduerſitatibus pateretur. In qua plane virtute vſqueadeo excelluit, vt nunquam viſus ſit vel auditus iraſci, aut ab aliquo laceſſitus commoueri, niſi cum aliquem Dei prępcepta tranſgredientem, vel regulam S. Franciſci violantem cerneret. Tunc enim pio religionis zelo commotus, & iuſtas animo iras concipiens, acriter, vt ſuperius dictum eſt, tranſgreſſorem obiurgabat. Ceterum cum varijs calamitatibus vitæ concuti, ac pene laborum fluctibus ſubmergi ſentiret, in eis maxime confirmabatur animus, vt nihil plane detrimenti ex aduerſitatum colliſione perciperet. *Melior enim vir patiens eſt forti*, vt ait Salomon, *& qui continet iram, capiente vrbem*. *Prou. 16.* Qua de cauſa cum eum aliquando ægritudo corriperet, aut morbi vis dolorem intenderet, tam patienter cruciatus perferebat,

bat, vt in ipſo etiam mortis limine conſtitutus nullum ſæuientis doloris indicium ediderit. Sed dum Canarienſes infauſtis ſuperſtitionibus implicatos ad veram pietatis lucem traduceret, magniſq. perſecutionis turbinibus quateretur, tantis patientiæ obſequijs illorum contumelias ac iniurias pertulit, vt non ſolum eos furentes manſuetudine delinierit, ſed etiam ad veram pietatem patientiæ & humilitatis officijs perduxerit. Vnde illi poſt ſuſceptam religionem & fidem non tantummodo a viro beato erroris veniam poſtulabant, ſed etiam ob collata beneficia gratias agebant, illiq. humilius ſubiecti, maxima obſequij & honoris officia exhibebant. Hic igitur patientiæ & tolerantiæ fructus ad tantam ſolet virtutem deducere, vt certiſſimum ei præmium proponatur a Domino dicente: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Ac vere quidem beati, quoniam nemo ſanctorum, vt ait Gregorius, ad cæleſtem gloriam, niſi patientiam ſeruando, peruenit.

*Matt. 5.*

*Homil. 7. in Ezech.*

## *De magna eius fide & aliquibus miraculis, quæ eam conſecuta ſunt. Cap. XIII.*

MAGNAE præterea fidei fuiſſe S. Didacum, non tam illuſtri omnium qui eum nouerunt teſtimonio, quam præclaris operibus, quæ rectæ fidei documenta præbent, comprobatur. Magna namq; certitudine & firmitate credebat, fidelem eſſe Deũ, qui ſolet amantibus & diligentibus ſe deſiderata concedere & eos qui ad illum humiliter recurrunt, & diuinum auxiliũ poſtulant, ſecundum diuitias gloriæ ſuæ (*ſuperabundanter quã petimus aut intelligimus*, vt ait Paulus) bonis omnibus cumulare. Accedebat inſuper prona admodum & facilis illius ad credendum propenſio vna cum ſingulari deuotionis affectu coniuncta. Tantam enim confidentiam de diuina miſericordia & bonitate conceperat, vt nihil de eius virtute hæſitaret, ſed cuncta a Deo miſericordiarum patre ſe adipi-

*Philip. 4. Ephes. 3.*

adipiſci poſſe crederet. Quid ergo tantæ fidei merito non aſſequeretur vir ſanctus, qui pectus patens & ſummæ fidei capax Domino offerebat, vt ab eo gratias profluentes, ac largiter inundantes hauriret? Sciebat enim, teſte Paulo, *Hebr. 11.* viros probatos & in conſpectu Dei fideliter ambulantes, per fidem regna deuiciſſe, operatos fuiſſe iuſtitiam, adeptos repromiſſiones, ora Leonum obturaſſe ac compreſſiſſe, ignis impetum extinxiſſe, aciem gladij effugaſſe ac repuliſſe, de infirmitate conualuiſſe, aliaq. admirabilia præſtitiſſe, quæ dicendo enumerari non poſſunt. Sed incipiamus aliquot eius enarrare miracula, vt ingentis fidei meritum & eximiam viri ſanctitatem haud obſcure demonſtremus.

## S. Didaco iter facienti victus diuinitus offertur.

PRoficiſcebatur ex monaſterio vulgo Cerrage dicto, tribus leucis, quæ duodecim fere Italica continent milliaria, ab Hiſpali remoto (in quo ad annos circiter MCCCCXXXVI. vt coniecturæ quædam ſuadent, Didacus viuebat,) vna cum probo & fido comite ad oppidum de S. Lucar de Barrameda. Cum vero illi nullum alimenti genus ad iter conficiendum attuliſſent, & iam fame premerentur, ad proximum pagum, vulgo dictum *los Palatios*, diuertunt: vbi petita, nulla tamen accepta eleemoſyna, cũ iam quinq; itineris leucas confeciſſent & aliæ inſuper quatuor peragendæ in eremo ſupereſſent, ieiuni incœptum iter progredi inſtituunt: cuius plane laborem ac defatigationem diuinarum precum recitatione leuabant. Accidit vero, vt cum Doctor Frater Stephanus (id enim erat ſocij nomen), iam pene inedia confectus Didacum interrogaret, quid tandem comeſturi eſſent; tunc ille fide plenus Dominum paraturum eſcam reſpondit, ſociumq. hortatus eſt, vt ſummam in Domino fiduciam, ac laborum omnium præſidium collocaret. Qua de cauſa in maximam ſpem diuinæ conſolationis erecti, vbi aliquãtulum itineris proceſſiſſent, de repente iuxta viam inter herbam, quam Hiſpani Mareſ-

ma vocant, mantile quoddam linteum mundumq. conſpiciunt, quo panis candidus, piſces recentes cocti & malum medicum inuoluebantur, prope quæ vaſculum vino plenum erat. Itaque in maximam admirationem rapti, antequam illa contingerent, omnem primum circumiacentem planiciem, quæ per tres vel quatuor leucas patebat, diligenter circumquaque colluſtrant, vt circumſpicere oculis poſſent, an quiſpiam adeſſet, cuius inuenta cibaria eſſe poſſent. Sed vbi nullum conſpiciunt, nec ad quos pertinerent cibi, veſtigia vlla extarent; licet in omnem locum & partem late oculos retuliſſent, rati diuina ope hæc ſibi allata fuiſſe, primum in diuinas gratiarum actiones effunduntur, tum deinde ſuper gramen virentis herbæ vterq; conſedit, & munere diuinitus miſſo refecti, immolato Deo debito ſacrificio laudis, de puritate legis Euangelicæ & de diuinis ſeruandis præceptis colloquentes, quod reliquum itineris ſupererat, confecerunt. Interea Didacus qui mentem diuinis inſtitutis excultam formatamq. habebat, ſocio admirabundo referre cœpit, Deum ipſos æque ac populum Iſrael in deſerto pauiſſe, ac neceſſaria miniſtraſſe, non tam vt ab eis famem ſitimq. excuteret, quam vt ad diuinam præſentemq. virtutem & gloriam excitaret. Incuſabat præterea ſeipſum vir Dei, quod in tam breui itinere tã exiguam ſpem fidemq. in Domini miſericordia collocaſſet, qui multis fauoribus homines excipit, beneficiorum muneribus fouet ac cumulat, in neceſſitatibus ſolatur & omnibus ex animo poſtulantibus affluẽter vitæ neceſſaria elargitur. Equidem ſolet miſericors Deus ſeruos ſuos paſcere ſolariq. cum Danieli ductore Angelo prandium delatum fuerit, quod Habacuc ſuis meſſoribus parauerat: Elias ſubcinericio pane diu vixerit: ſexaginta annorum ſpatio Paulus panis fragmentum coruo miniſtrante acceperit, Antonius & Paulus duplicata annona ſuſtentati fuerint, cum ad opem diuinæ gratiæ confugiſſent. Munera quidem ſunt hæc diuinæ largitatis & miſericordiæ, quæ Chriſtianis bene vitã inſtituentibus a Domino temporum neceſſitati ſeruantur.

*Dan. 14.*

*Hiero. in vita Sancti Pauli Eremitæ.*

Puerulus

## Puerulus e furno ardente liberatur.

NEc his minora ſubſecuta ſunt, quæ Didaci gloriam multiplicatis virtutibus celebrem inter finitimos populos reddiderunt. Eodem igitur comite vir beatus ex eodem monaſterio de Cerrage Hiſpalim profectus, apud probum quendam virum, qui benigniſſimo hoſpitio Franciſcanos recipere erat ſolitus, liberaliter excipitur. Prope paupercula mulier furnariam exercens, & panis coctura quæſtum faciens, habitabat. Huic ſeptennis vel eo amplius erat filius, qui eius iram & verbera extimeſcens, ſæpe tectis excedere ſolebat & clam ſe aliquibus latebris occultare. Quodam igitur tempore cum domo matris diſcederet, & Dominica die oborta iam nocte in ædes reuerteretur; inſcia matre, cuius ſæuitiam verebatur, in furnum ſeſe abdidit, eiq. timenti ac pauido arctior ſomnus acceſſit. Interim femina, vt ſummo mane furnum incenderet, eadem nocte ligna parare, extruere, illis furnum opplere cœpit, quæ flammam iniectã ſtatim conciperent. Sequentis diei vix aurora fulgente, vbi primum ignem admouit, tanto impetu incendium excitatum eſt, vt omnia vis flammæ conuolueret. Exterritus puer & confeſtim ſomno excitatus, repente exclamat, miſeræ matris auxilium implorat, vt ad ſe liberandum & ad extinguendum incendium concurreret. Quem vbi audiuit, tantus pauor tremorq. omnium membrorum miſeram feminam cepit, vt prope exanimata diu hiſcere non poſſet. Quid faceret mater, quàm hinc amor & miſericordia, illinc deſperatio reiq. periculum commouebat? amore ne filij in medios ſe flammarum globos immitteret, filium ſemianimem extraheret, ignem extingueret, cuius iam late vagabatur incẽdium? ſed dubia animi, cum hæc terrori maxime fuiſſent; laniata facie ac crinibus, pauida vecorsq. in viam procurrit, obuios quoſque ingenti comploratione vocat, & licet ſingultibus voces rumperentur, auxilium depoſcit, vt infelici puero ſubuenirent. Interim beatus Didacus ei fit obuiam, qui cognita doloris cau-

ſa, cum ſumma pietate commoueretur, illam benigne ſolari cœpit, ne filij periculum formidaret. Hortatur prætererea, vt ad templum maximum diuæ Virginis auxilium imploratura quamcitiſſime properaret, & ante eius imaginem preces funderet, ſperaretq. illam contra tantam vim ignis auxiliarem futuram. Confeſtim anxia mater quaſi oraculo monita, iuſſis beati Didaci obtemperat, relictoq. filio, cui humanam opem ferre non poterat, ad Eccleſiam cum ingenti deuotione contendit. Interim Didacus & ſocius ad ardentem furnum accurrunt, diuinam virtutem implorant, illæſumq. puerum, ne leui quidem ignis afflatu contactum contra naturæ ordinem, cum ligna omnia in fauillas ac cineres fuiſſent reſoluta, alacriter manibus excipiunt. Quem ſtatim magno hominum concurſu, qui rei miraculum commendabant, ad Eccleſiam deducunt, virgini offerunt, eumq. rei ſtupore conterriti Canonici, albo amiculo exornant. Sed locũ vbi hæc geſta ſunt, auguſtum nobilemq. non tam religionis cultus, quam miraculorum fama & claritas diuini numinis, quod beati Didaci meritis & Virginis Mariæ interceſſioni aſcribitur, tota Hiſpania illuſtriorem reddidit. At ille qui iam vitæ ſanctioris & iuſtitiæ probatioris videbatur, ne in inanem gloriam laberetur, humilior & abiectior factus in Deum & beatiſsimam Virginem laudes retulit: cuius plane pietatẽ præſentemq. virtutem ſentiunt illi, qui ignis incendium patiuntur. Iam enim antea multorum atteſtatione conſtat, Conſtantinopoli puerum in ardentem clibanum coniectum, in medijs carbonibus candentibus a Virgine ſanctiſsima illęſum ſeruatum fuiſſe, aquam iniectam, flammas corpus pueri ambientes extinctas: vt pie credendum ſit, hæc eadem vel ijs ſimillima in hoc beati Didaci miraculo accidiſſe. Atq; hæc quidem quantum coniectura aſſequi potui, miraculorum beati Didaci fuere principia, hæ notæ indiciaq. virtutum, quæ veluti primas lineas ſuæ perfectionis deſignarunt.

*Euagrius li.4.c.35.*

De

## *De profectione eius in Inſulas Canarienſes, & de rebus ibidem geſtis.* Cap. XIIII.

INTEREA cum iam ille prouectam ageret ætatem, maiorum præſcripto ad Inſulas Canarias proficiſcitur. In quibus cum res plane difficiles, arduaq. religionis ac fidei negotia tractanda forent, ei potiſſimum committenda videbantur, qui in rebus gerendis prudens, in periculis ſubeundis ac propulſandis conſtans, in aduerſis fortis, in perſecutionibus patiens expertusq. erat. Quod plane Inſulanis, qui nefarijs idolorum cultibus & ſuperſtitionbus tenebantur, conſultiſſimum fuit, vt eorum errores beati viri diligentia atque virtute expiari poſſent. Ergo vbi S. Didacus in Inſulam, quæ Forteuentura vocatur perueniſſet, vt Guardiani munus gereret ( quod olim laici viri alioquin probi, religionis profeſſi, virtutumq. ornamentis inſignes obibant, ) latior ſeruiendi Deo ei campus patuit, vt in horrea Dominica vberiorem meſſem inferret. Erat ille diſertus, eloquio promptus ac ſuauis, vt facile ad ſe hominum animos dicendo raperet. Ardebat præterea feruenti Ieſu Chriſti amore, quo inflammatus oppidanos infidelitatis tenebris obcæcatos in Ieſu Chriſti fidem allicere curabat. Itaque vt ad veræ fidei diſciplinam gentis animos incitaret, veram ſibi in animo prædicandi Euangelij rationem inſtituit paucis regulis cōprehenſam. Primum enim cum vir eſſet ſumma vitæ temperantia moderatus, exemplo alijs prælucere, ieiunijs, orationibus, exercitationeq. virtutum gratiam Dei promereri ſtudebat; vt ſibi euangelizāti Dominus verbum virtutemq. tribueret, & ſuos pedes deferentes bona & pacem ornaret. Deinde ne diuitiarum auaritiæ ſollicitatus illecebris videretur, tantum aberat quod aliorum bona deſiderare aut auferre contenderet, quam quod etiam ſua omnibus vberrime largiretur. Metiebatur enim ad regulas perfectionis Euangelicæ, & ſancti Franciſci inſtitutum ſuas actiones, vt illæ ornamentum virtutis acciperent. Quibus etiam ieiunia

*Euangelij prędicandi ratio.*

nia & orationes adiungebat, ne animum a diuinarum rerum contemplatione remitteret. Augebat quoque ſeueritatem animaduerſionis in ſuum corpus, quod diris flagellis caſtigabat. Tandem perquirebat omnia vitæ neceſſaria, eaq. copioſe largiebatur conuerſis ad Catholicam fidem, vt eorum pietatem beneficentia & liberalitate foueret. Quod plane diuinæ munificentiæ erat inſigne, & ſanctitatis Didaci non obſcurum argumentum; vt fraterculus egentiſſimus diues eſſet in omnes, qui ſe eius fidei & diſciplinæ tradebant. Quibus artibus facile aſſecutus eſt, vt multi homines eius regionis ad orthodoxam fidem perducerentur & Chriſto lucrifierent.

Igitur hac inſigni religionis induſtria, & gubernandi virtutibus inſtitutus in magnam Canariam, quæ vna ex Fortunatis Inſulis dicitur, nauigare cogitauit; vt ab oppidanorum animis infidelitatis errores eriperet. De qua re maxime angebatur animo: ſæpe etiam ab imo pectore Dominum exorans, ſuſpiria ducebat, vt ſibi permitteret illis veritatis lumen deferre, qui tot infidelitatis tenebris inuoluebantur. Sed cum in nauim deliberato animo conſcendiſſet, vt ſi opus eſſet (quemadmodum ipſe Philippo Hiſpalenſi Franciſcano dilecto amico ſpirituali retulerat,) martyrium pro Chriſti fide ſubiret, eius ſtudio omnes Chriſtiani qui ſimul cum eo nauigabant, acriter obſtiterunt. Referebant enim eius Inſulæ accolas, viros alioquin truces & omni genere impietatis immanes, maxima tormentorum genera ipſa morte crudeliora inauditis prorſus hominibus inferre, ſi ad eorum regionis oras accederent. Qua de cauſa licet ingenti animi deſiderio teneretur, vitam pro religione profundere, illum tamen Chriſtiani comites, qui vna tunc ſecum proficiſcebantur, ab inſtituto itinere prohibebant. Itaque cum optata aſſequi non poſſet, ſtatim ad conuentũ de Fuerteuentura reuertitur, in quo diu commoratus res præclaras & inſigni pietate illuſtres geſſit, quæ plane Inſulanos omnes ad fidei religionem perduxerunt. Cõcurrebant frequenter ad Didacum omnis ſexus & ætatis homines,

mines, alij vt eleemoſynas peterent, quidam vt ſalutaria conſilia quærerent, pars vt fidei rudimentis inſtituerentur, multi vt Chriſtianæ religionis præcepta acciperent. Sed inter omnes cum quidam Ioannes Alfonſus auctore Didaco Chriſtianam religionem ſuſcepiſſet, adeo in eius pietatem exarſit, vt duos filios ad Didacum Chriſtiana religione imbuendos adduceret, qui ſimiliter fidem Catholicam amplexi virum beatum ex animo coluerunt. Nec deerant qui vel neceſſitatis, vel ægritudinum cauſa ad virum Dei properarent, vt delictorum expiationem per Baptiſmum acciperent, vel eius ope, quæ proxima Deo habebatur, a multis vitæ calamitatibus vindicari poſſent. Ille tamen vt erat diuinæ pietati addictus, ſolari omnes, fouere pauperes, imperitos erudire, aberrantes a vitæ inſtituto in viam rectam reducere numquã ceſſabat, nullũq. omittebat officij genus, quod non libẽter pro ſalute proximorum impenderet. Incredibile fuit quantũ ea res apud omnes homines Didaco gloriæ dederit; illum omnium patrem, illum veræ religionis doctorem, illum omnium propugnaculum, optimorum cõſiliorum adminiſtratorem, omnium educatorem & altorem appellabant. Et quidem merito, cum ſæpe vt alijs ſolatio & auxilio eſſe poſſet, viſus fuiſſet in vehementi æſtu ad colligendas ſegetes proficiſci, vt diximus, quibus pauperes vberius ſuſtentare poſſet. Interim tamen multa in ea Inſula illi fuere pericula ſubeunda, multæ calamitates perferendæ, quas malus dæmon Didaco inferebat. Sentiebat enim aduerſarius, Chriſtum Dominum pauperculi & idiotæ Fratris ſtudio in membris ſuis auctum fuiſſe, religionem propagatam, expiatas ſceleribus conſcientias, Dei maieſtatem vindicatam, ex quo Didacus ad eum locum acceſſerat. Qua de re nullum, vt aiunt, non mouebat lapidem, vt inuidiam in illum conflaret & in multas calamitates & incommoda impelleret, veramq. religionem in ludibrium commutaret. At ille fidei galea & conſtantiæ clypeo munitus, omnes dæmonis artes & machinamenta, quæ aduerſus fidem inſtruebat, euertit; omneſq. dolos ac fraudes patientia & oratione ſu-

ne ſuperauit. Siquidem crudeſcente dæmonis ira,tã egregia diuturnis precibus,quas Deo fundebat, pręſtitit,vt ipſę campanæ monaſterij ſignum orante Didaco nouies ad ſalutationem Angelicam recitandam ediderint, & clarum ſonum nulla alterius ope reddiderint.

Nec omittendum exiſtimo,quod maxime Franciſcanorum Annales commendant; quod plane dignum cenſeo vt in hóc caput inferatur. Didacus quadam die cum famem ob ieiuniorum longam inediam ferre non poſſet, ex palma dactilum in os iniecerat: Sed dum fortaſſe aliud agendo aut cogitando dactilum vehementer dentibus premeret, dentis iacturam paſſus eſt. Itaque fuſus in preces obnixe Dominum rogauit, ne pateretur fructus alioqui ſuauiſsimos ſuis famulis detrimento fore. Nec mora,Dominus eius voluntati acceſſit; nam quotquot ab eo tempore deinceps ex ea palma fructus colliguntur, omnes diuina quaſi virtute abſque oſſe proueniunt, qui vſque in hunc diem ad memoriam viri beati, tantæq. virtutis argumentum enaſcuntur.

## *Ex Inſulis Canarienſibus in Hiſpaniam reuerſus Romam proficiſcitur. Cap. X V.*

AGRO igitur Dominico in Canarienſibus Inſulis diligenter exculto, & Chriſtiano grege optime in fide Catholica confirmato, Didacus anno Domini MCCCCXLIX. in Hiſpaniam reuertitur. Inſtabat iam quidem primum anno proxime ſequenti MCCCCL. Iobileus pleniſſimus & ab omnibus optatiſſimus, quem Nicolaus Papa eius nominis V. liberales de more omnibus ad Vrbem venientibus & ſacra loca viſitantibus pro peccatorum expiatione elargitus indulgentias celebrauit. Ad eum quoque vir beatus poſtquam Prælatorum ſuorum facultatem obtinuit,comite Fratre Alfonſo de Caſtro contendit, vt vberrimis indulgentiarum theſauris, qui omnibus ſponte offerebantur, cumulari poſſet.

ſet.

ſet. In toto vero itinere cum ſe totū pietati dedidiſſet, non minus ac ſi in monaſterijs ageret, perfecte ſancti Franciſci regulam & inſtituta ſeruabat. Erant tunc quidem viæ omnes difficiles, & hominum multitudine, qui Romam proficiſcebantur, obſtructæ, hoſpitia peregrinis omnis ætatis & ſexus plena, commeatus difficilis, acris annona, ſummaq. rerum omnium inopia. Sed Didacus, qui firmam ſpem in Domino collocauerat, nullarum rerum egebat, cum facile ſuppeditarentur quæ ſibi & ſocio eſſent neceſſaria. Tanta enim inerat Didaco gratia in omni opere, actione & ſermone, vt facile animos hominum ſibi demulceret, facile etiam ſibi paterent hoſpitia, in quibus benigne exciperetur, rebusq. omnibus vitæ neceſſarijs abundaret.

Ergo cum poſt longum iter ad Vrbem perueniret, in monaſterio quod Aracæli dicitur, commune omnium monachorum hoſpitium, benigne excipitur. Templum eſt ampliſſimum in Capitolio poſitum, olim Ioui Feretro, nunc vero melioribus auſpicijs Virgini conſecratū, & hominum frequentia celebre, cum ad affirmationem maieſtatis numinisq. Virginis, quam ferunt Auguſto Imperatori apparuiſſe, vndiq. omnes concurrant. In hoc itaq; templum cum Didacus appuliſſet, vt animum cæleſtibus muneribus pontificia liberalitate effuſis exornaret; ſacra omnia loca perluſtare, humillime & qua decebat pietate limina Apoſtolorum frequentiſſime viſitare, peccata confiteri, illorum veniam lachrymis poſtulare, & ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento ſeipſum munire cœpit.

Celebrabatur tunc ſolemni ritu Romæ S. Bernardini Franciſcani Senenſis canonizatio, cuius plane & ſacri etiā Iobilei cauſa in Vrbem ex diuerſis mundi partibus ter mille & octingenti Fratres Obſeruantes Franciſcani cōuenerant. Quorum multos inſuetudo nauigandi, plurimos longi itineris defatigatio confecerat, innumeros aeris intemperies vexabat. Iacebat tunc in Aracæli conuentu ingens ægrotorum multitudo, quos nec lectuli, nec ſtramina capere poterant, vt in eis ſomnus & quies eſſe poſſet. Cum his quoq;

Alfonſus Didaci comes graui infirmitate oppreſſus decumbebat, quem morbus per tres integros vel eo amplius menſes afflixit. Cui plane communi calamitati hoc quoq; maximum ægrotis incommodum acceſſerat, quod eo tempore ciuitas magna annonæ charitate premeretur, vt vix ægrotis neceſſaria parari poſſent. Interim Didacus, vt ſocio chariſsimo opem ferre, eiusq. indigentiam leuare poſſet, nullum pietatis officium omittebat. Quod plane fuit in cauſa, cur monaſterij Guardianus, illius charitate perſpecta, omnem Didaco infirmorum curam imponeret; ratus, hoc munus ei conferendum eſſe, qui ſumma inter omnes manſuetudine & pietate pollebat. Sed ille libenter obſecutus, delitiarum inſtar ita alacriter pauperibus ſeruiebat, miniſtrabat egentibus & omnia charitatis opera impendebat, vt nihil magis ſibi eſſet in animo. Ceterum non ſolum difficile, ſed etiam impoſsibile videbatur, tot ſimul ægrotis, varijsq. morborum generibus afflictis, in tanta præſertim rerum inopia ac egeſtate conſulere: vnus tamen ſingulari Dei beneficio ac munere ſufficiebat Didacus, qui omnes ſolabatur, omnibus ſternebat, parabat lectos, eos verſabat, opportunis temporibus imperata medicamenta propinabat, & velut pia ac ſedula nutrix, per momenta ſingula cum medicis circuibat, inſpiciebat ſingulorum vultus, linguas explorabat, pulſus & venas contingebat, vt quæ cuiq. opus eſſent, cibis & medicamentis ſequentibus, opportune conferret. Nec ab hoc miſericordiæ opere noctu ceſſabat, imo vero diligentius multo ſingulos lectos excurrens, ſciſcitabatur qualiter ſe quiſq; haberet, vt eis opportuno in tempore iuxta medicorum perſcripta ſubueniret. Ita enim ſe totum pietati addixerat, vt nec defeſſis mēbris nec iam inerti parceret ſenectuti. Quoties enim illum ægrotantium torſere lamentationes? quoties morbi & cruciatus illorum, pias lachrymas excuſſerunt? quoties vehementi commiſeratione & pietate commotus, ſublatis in cælum manibus, oculisq. in Chriſti Crucifixi imaginem defixis, pro ægrotantium ſolatio, ſalute & peccatorum expiatione,

tione, Deum & Virginem matrem, reliquosq. Sanctos cum Chriſto regnantes deprecabatur? Illud certe mirum meritis ſancti Didaci aſcribitur, in tanta victus inopia & commeatus caritate, qua acriter vrbs tota laborabat; maximam tunc viro Dei ad hoſpitalitatis munus exercendum, rerum facilem copiam & vbertatem fuiſſe. Sed valde mihi fit veriſimile, illum reliquo tempore, quod ſibi a curandis pauperibus ſupererat, vitam, mores & actiones omnes S. Bernardini Senenſis tunc canonizati aſsidue meditatum; coluiſſe virtutes, pudicitiam, pietatem & ardentiſsimum in Chriſti pauperes ſtudium & beneuolentiam dilexiſſe; maxime vero illius ingentem in beatiſsimam Virginem deuotionem, cui ex animo pie erat addictus. Videor profecto S. Didacum his verbis loquentem audire; o Deus, admirande, colende, tremende, quam mirabilis es in ſanctis tuis, quos tu tuæ voluntati coniungis; quam diues & bonus in omnes, qui recto ſunt corde, qui tecũ diuina gratia quaſi ſocietate copulantur, quos non ſolum tibi diuinis coniunctionibus nectis & participes facis gloriæ ſempiternæ; ſed etiam in hac mortali vita ſplendidiſsimis honoribus cumulas. Ecce Domine ſeruus tuus Bernardinus, te donante & miſericorditer largiente, quãtis in Eccleſia honoribus ſublatus fulget & floret? Obſecro te Domine per tuæ miſericordiæ viſcera, quæ in noſtram ſalutem effuſa ſunt, vt eius mihi concedas imitari veſtigia, virtutes colere & eadem cum eo in cæleſti patria præmia poſsidere.

Sed cui vnquam in cogitationem aliquam venire potuiſſet, ceterorum Franciſcanorum cernens multitudinem, quorum alij erant verbi Dei concionatores diſertiſsimi, alij ſacræ Theologiæ cognitione præſtãtes, pars philoſophiæ & aliarum ſcientiarum ſtudia ſectabantur, multi vt fit publice magno hominum concurſu difficilia artium placita defendebant, vno parum amplius reuoluto ſæculo futurum eſſe, vt iſti omnes obſcuris obliuionis tenebris inuoluti, ab hominũ penitus memoria laberentur; ille vero pauperculus in tam vilibus & abiectis hominũ iudicio miniſterijs occu-

patus, laceris & pannoſis indutus veſtibus, ægrotis miniſtrans, inter ollas & medicamentorum vaſa verſatus, qui nullis honoribus dignus videbatur, tota exultante Roma, omni clero canente, ſummo Pontifice diuina peragente myſteria, innumerabili hominū omnis ætatis & ſexus multitudine certantibus ſtudijs, concurrente magna Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & ceterorum Prælatorum præmiſſa pompa, ſolemni ritu, Sanctorum catalogo aſcriberetur? ſed alia ſunt hominum, alia iuſti Dei iudicia.

## *Reuerſus ab Vrbe in Hiſpaniam, habitat aliquandiu in Conuentu S. Mariæ de Saliceto. Cap. XVI.*

TRIMESTRI tempore vel eo amplius, in huiuſmodi charitatis opere euoluto, Didacus Alfonſo comite ac ſocio, qui iam a morbo eius potiſſimum induſtria conualuerat, in Hiſpaniam reuertitur. Quibus non minus omnia victui neceſſaria redundarunt, quam cum Romam contenderent, aut in ea verſarentur. Tandem vero poſt multos labores & itineris moleſtias, quibus maxime confecti ſunt, Hiſpalim peruenerunt.

Eſt in prouincia Caſtellæ celebris religione Conuentus nomine ſanctæ Mariæ de Saliceto, inter conſertiſsimas arbores aſperrimosq. mōtes ſitus, innumeris beatiſsimæ Virginis Dei genitricis miraculis illuſtris, & crebra hominum viſitatione ſtatis temporibus frequentatus. Intra cuius ambitum ſepta & denſiſsima opacaq. dumeta, quæ ex propinquorum arbuſtorum ramis frondibusq. conteguntur; quinque eremitoria in rupe vndiq. impendente, mira arte conſtructa ſunt; quæ tum ob loci ſitum, tum ob ſtructurā aſpectantium animos ad diuinam cęleſtemq. gloriam meditandam alliciunt. In quibus ſingulis, ſinguli quoq; Franciſcani Fratres omnium hominum conſortia relinquentes, & ſolitudine delectati, orationi, vigilijs, ieiunijs, duriſsimæ corporis macerationi, perpetuo ſilentio, diuiniſq. laudibus

&

& contemplationibus vacare ſolent; vt eius loci anguſtia interclusi, Deo arctiori pietatis genere iungantur. Igitur S. Didacus incredibili mundi contemptu, vt diuino tantum colloquio perfrueretur, eiq. puris cogitationibus inhæreret, hunc ad inhabitandum locum ſecretiſſimum & ab omni hominum conſpectu remotum humiliter poſtulauit. Itaque Præpoſitorum indulgentia voti compos effectus, bonus ſenex (erat enim fere iam ſexagenarius) conſueta pænitentiæ exercens certamina (quemadmodum reſidua quædam veſtigia hactenus impreſſa teſtantur) in eo permanſit; donec ad Complutenſem Conuentum tranſlatus eſt, in quo reliquum vitæ tempus in omni genere pietatis exercuit.

## *De profectione illius ad Conuentum Complutenſem S. Mariæ de Ieſu. Cap. XVII.*

SED cum Didacus ſe ad cæleſtem perfectionem modis omnibus exerceret, Alfonſus Carrillus Archiepiſcopus Toletanus auita quidem generis nobilitate clarus, ſed pietate clarior & illuſtrior, habita facultate ab Eugenio IIII. Pontifice maximo, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. Complutenſem Conuentum a fundamentis magnis ſumptibus erigendum, beatiſſimæq. Mariæ de Ieſu & S. Franciſco nuncupandum curauit. Quæ vbi cœpit agere, protinus nonnulli Franciſcani litterarum peritia & vitæ ſanctitate clari deliguntur, vt ei loco ſplendori & dignitati eſſe poſſent. Ex quorum numero S. Didacus & eius ſocius Frater Alfonſus de Caſtro deſignantur; qui Fratrem Rodriguez de Oña præpoſitum ſecuti, quo tempore Carrillus Complutenſem conuentum ædificare aggreſſus eſt, ad illum peruenere. Acceſſit igitur Didacus Complutum, ſicut ex prædictis colligitur, anno incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. niſi eum iam paulo antea veniſſe dicamus, vt ex quorumdam teſtimonio videtur comprobari. A quo loco numquam receſſit, donec anno Domini MCCCCLXIII. vt paulo poſt dicemus, hac mortali vita perfunctus ad cæleſtem patriam euolaret.

S.

## *S. Didaci conuerſatio Compluti. Cap. XVIII.*

INsignis itaq; Didaci ſanctitas & celebris fama vſque adeo vniuerſam fere Hiſpaniam compleuerat, vt omnes ardenti eum videndi deſiderio tenerentur. Quod plane fuit in cauſa, cur ciues Complutenſes cum S. Didacum ad eos venturum agnoſcerent, magna lætitia perfuſi illius aduentum ſummi beneficij loco reponerent. Nec immerito, cum ex ſanctorum hominum ſocietate ac coniunctione maxima rebus publicis commoda naſcantur, ciueſq. præſtantiores bonorum exemplo euadant. Igitur cum Didacum populi aduentantem benigne ſuſcepiſſent, ſtatim ad illum in aſſiduis pænitentiæ & charitatis operibus verſatum, tamquam ad diuinum oraculum innumeri pene homines varijs caſibus, vt fert noſtra conditio, afflicti confluxerunt. Quos ille perhumane ac benigne ſuſcipiens, omnibus auxilio erat; cum pauperibus eleemoſynas, ægris ſæpiſſime ſanitatem, afflictis ac deſperatis ſalutaria monita conſiliaq. præberet, alijſq. modis ægritudines leuare contenderet. Quæ res omnes in maximam admirationem rapiebat, cum illius humilitatem, conſtantiamque conſpicerent. Admirabantur enim omnes vnde ille tam varia alimenta conquirere, tam multa inuenire poſſet, vt omnibus, qui ad monaſterium eleemoſynæ cauſa concurrebant, vberrime ſatisfaceret. Accendebat quoque omnium animos viri ſanctiſſimi pietas, qua maxime afficiebatur erga eos, qui aduerſam valetudinem perferebant, quos omnes iuuare, ac ab ægritudinibus leuare ſtudebat. Accidit vero aliquando, vt Compluti duo pauperes, bonæq. indolis ſcholares grauiter ægrotarent: quorum miſertus Didacus, cum in monaſterium venire iuſſiſſet, atque in eo loco vbi nunc ſacræ eius reliquiæ conquieſcunt, lectum ſtrauiſſet, & veluti materna pietate ac diligentia miniſtraſſet, eos ſtatim in priſtinam ſalutem reſtituit. Ne vero eos aliqua in re deſerere videretur, vbi primum conualuerunt, victum & veſtes procurauit, & reliqua

vitæ neceſſaria præbuit, vt alacrius & commodius cœptis iã bonarum artium ſtudijs operam impenderent.

*Humanarum litterarum ignarus dubia ſoluit difficillima. Cap. XIX.*

SED reliquis animi bonis, ſingulari ac plane diuina præſtitit ſapientia; quam nullis humanarum litterarum ſtudijs didicerat, (erat enim vt diximus laicus, ob eamq. cauſam nullis initiatus ordinibus) ſed feruenti in Deum charitate, & profunda humilitate cæleſtem, ſine humanarum litterarum præſidio, ſapientiam comparauerat; vt illam de vberrimo Trinitatis fonte ſuxiſſe videretur. Qua de re mirificas & eruditione præclaras ſententias ad vitæ inſtitutionem proferebat, vt ijs animos hominum ad pietatem impelleret. Erat enim eius ſermo prudens, ſapiens, ſuauis, maturus, perfectus & vbiq. ſibi conſtans, vt diuinitus ex quadam cæleſti ſocietate, ei collatus crederetur. Quod plane Bacalaureus quidam de Cuenca liberalium artium magiſter, ciuis Complutenſis, vir haud contemnendæ auctoritatis, qui cum S. Didaco familiariter conuerſabatur, illuſtri experimento didicit; cum ab eo ſenſus eruditione reconditos frequenter hauriret, & multarum diſceptationum ſolutiones ad ſtudia litterarum ſpectãtes perciperet, quas in clariſſimis Academijs Salmanticeñ. Pariſieñ. ac alijs vbi litteris operam dederat, conſequi non potuerat. Quæ plane mira videri debent, ſi conſuetum naturæ ordinem metiamur. ſed Dei ſermo admirationem adimit, qui paruulis, id eſt, humilibus, ea quæ abſcondita ſunt prudentibus & ſapientibus, ſe reuelaturum pollicetur.

*Signo Crucis multos varijs morbis affectos ſanat. Cap. XX.*

APOSTOLOS, Martyres & reliquos præclaros viros, quos maxime ſancta colit Eccleſia, ſalutiferæ Crucis ſigno ad tutelam ſalutis impreſſo, innumera miracula edidiſſe, cum illuſtri om-

nium

nium patrum auctoritate comprobetur, maxime Auguſtini teſtimonio conſtat. Qui ſermone xix. de ſanctis cum myſteria crucis extuliſſet, tandem ita concluſit: *Crucifixus noſter Crucem nobis in memoriam ſuæ paſsionis reliquit, Crucem reliquit ad ſanitatem. Hoc ſignum præſidium eſt amicis, obſtaculum eſt inimicis. Hoc curſum noſtrum dirigit, hoc ad agonem nos inſtruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc ad coronam peruehit, hoc maleficia deſtruit & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit. Et quod faciebat in terris corporis Chriſti præſentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Chriſti victorioſæ Crucis inſignita memoria.* Qua de cauſa Didacus ſanctiſſimus, qui ſummo amore Dominicam Crucem amplectebatur, eius ſignaculo, quod pie ſe adeūtibus imprimebat, infinita prope miracula edidit. Confluebant enim ad ipſum quamplurimi ex multis Hiſpanię vrbibus, oppidis & pagis; vt deſperatis morbis medicinam acquirerent. Qui cū orando opem viri Dei & auxilium implorarent; ipſe ardenti charitate commotus, oleo lampadis, quæ coram imagine Virginis ſanctiſſimæ accenſa pendebat, digito inuncto, ac ſigno Crucis ægrotis impreſſo, omniū medicamentorum virtutes; Hippocratiſq. curationes & remedia ſuperabat. Nam claudis greſſum reſtituit, cæcis contulit lumen, paralyticis robur; febricitantibus valetudinem, dolentibus requiem attulit; quos plane ſanos hilareſq. & Deum eiuſq. Genitricem laudantes, domum dimittebat. Quæ cum frequenter ageret & in iuuandis omnibus ſe benignum ac miſericordem exhiberet, ſummum lucrum anima rum & corporum Domino reportauit, & omnibus benefaciendo & ſanando in bona ſenectute vſque ad vltimum vitæ ſpiritum traduxit; donec tandem in difficilem morbum inciderit, qui & huius vitæ mortalis finem, & beatæ ac ſempiternæ principium attulit: vt ſequenti libro docebimus.

SANCTI

# SANCTI DIDACI DE S. NICOLAO DEL PVERTO VITAE

## PER FRANCISCVM PEGÑAM Sacri Palatij Apoſtolici Auditorem deſcriptæ

## LIBER SECVNDVS.

*In quo de Beati viri obitu & miraculis poſt eius mortem editis agitur.*

### *De felici S. Didaci obitu.* *Cap. I.*

PRAESTITVTA iam diuino conſilio vitæ S.Didaci aderat dies, qua mortalem corporis ſarcinam depoſiturus ad recipienda cæleſtia laborum præmia vocabatur. Itaque cum vir beatus eſſet ætate graui, laboribuſq. confectus, in difficilem ægritudinem incidit, quam ex vi peſtilentis humoris, qui in brachium ſiniſtrum iuxta manum decubuerat, nactus eſt: quod plane malignis ſuppurationibus, quæ Græci Apoſtemata vocant, vehementer intumuit. Sed peritus chirurgus lenientibus vſus medicamentis cum affectum locum aperuiſſet, putris longe effluxit humor, qui nullum tetrum fœtorem, ſed quod mirabilius omnibus videbatur, ſuauiſſimum odorem contra naturæ ordinem efflabat. Quod tunc quidem medico, ceteriſq. adſtantibus ma-

gnæ admirationi fuit. Atque id prius ei accidit dum hoc morbi genere vehementius vrgeretur; poſteà vero duriores Beato viro dolores accreuere, qui cum indies augerentur, tanta illos animi lenitate & patientia perferebat, vt numquam ingemuerit, & nihil aliud ore præter diuinas laudes expreſſerit. Nocte vero quadam cum ei medicus curationibus ſubueniret, ille diuino ſpiritu in ecſtaſim raptus, paulo poſt cum iam mortuus crederetur, collecto ſpiritu, ad ſe ipſum reuerſus, quid ex cælesti illa & immortali patria deguſtaſſet, ter quaterq. apertis verbis exclamauit repetens: O *quales flores ſunt illi paradiſi.* Ceterum ingraueſcente vi morbi, cum ille certam iam ſui corporis diſſolutionem imminere ſentiret, Guardianum ceteroſq. Conuentus Fratres accerſiri, & omnes ad ſe venire humiliter poſtulauit. Hos vt veniſſe videt, per Dei viſcera & miſericordiam deprecatur, vt ſibi cordam & habitum viliorem concederent, quo inuolutus moreretur. Quæ plane de humilitatis & paupertatis amore manabant, quarum virtutum ſtudio maxime tenebatur. Accedebat prætereà S. Franciſci imitatio, vt quem cum viuens ex animo dilexiſſet, etiam humilitate moriturus exprimeret. Annuũt illi petitumq. habitum afferri iubent, illumq. extracto priori, quo indutus iacebat, ægro imponunt. Interim cum ad eum magnus Fratrum numerus accederet, vt eum morientem de more viderent, iuuarent & conſolarentur, ab illo ſuauiſſimis amplexibus deprecabantur, vt pro ſe diuinitatem exoraret. E contrario ille ab omnibus humiliter repoſcebat, vt ſe bonorum omnium & meritorum, quæ poſt religionis ingreſſum promeruerant, participem facerent. Ex his alij omnia, alij dimidiam ſuorum laborum partem obtulerunt, cum vehementiſſime in virum pium affecti fuiſſent. Ergo cum profuſis lachrymis ab omnibus veniam deprecaretur, & chariſſimis Fratribus vale dixiſſet, lætus de morte iam proxima, quam lucrum maximum deputabat, & de vicina accerſione ſecurus, vtrumque brachium pariter in altum erigens (quod viſu fuit mirabile, cum ſiniſtrum vi morbi depreſſum paulo

ante mouere non poſſet) ad Fratres adſtantes & ſpectantes conuerſus, crucem ligneam, quæ ad caput repoſita erat, arcte complectitur, & ore oculiſq. ſæpe ſuauiſſime oſculatus, cum ingenti pietate ſequentem hymnum pronunciauit:

*Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere* Regem *cælorum & Dominum.*

Quæ vbi dixiſſet, beatiſſimam animam Deo reddidit, anno MCCCCLXIII. die XII. menſis Nouembris, qui fuit Sabbati anniuerſariæ celebritati Mariæ Virginis conſecratus, quam Didacus mire dilexerat. Hæc cum audiſſent omnes qui adſtabant religioſi, admirati ſunt hominis laici & ſine litteris ſapientiam, præſertim cum eum nullus vnquam dicentem audiſſet hæc vel ſimilia verba, quæ ita expedite protulerat.

## *De ſignis quibuſdam & prodigijs, quæ eius obitum conſecuta ſunt, & illius ſepultura. Cap. II.*

PERMANSIT B. Didacus mortuus eodem vultu & facie nihil prorſus immutata, vt non e vita deceſſiſſe, ſed viuus omnino crederetur. Eius caro cum prius ob continua ieiunia, vigilias, aſperaſq. pænitentias attrita, contracta & ſubliuida foret; iam nunc candida, mollis & ſplendida renitebat, vt nec tenuis illam macula inficeret, ſed dote iam claritatis & ſtola gloriæ circumamicta eſſe videretur. Non riguerunt mortuo frigida membra, ſicut mos eſt corporum vita functorũ, ſed inſtar viuentium & bene valentium pedes, manus & brachia mouebantur, omneſq. arteriarum nerui & articuli flexibiles facile vertebantur; quod per integrum ſex menſium ſpatium durauit, donec ſacrum cadauer in arca bene munita fuit reconditum, vt paulo poſt dicetur. Eadem res pene mirabilis de S. Edmundo memoriæ traditur: nam cũ menſe quarto a ſepultura ſacrum eius corpus elatum eſſet, id integrum, membraq. quæ in defunctis ſolent obrigeſcere in omnem pene motum flexibilia reperta ſunt. Eadem S. Edmundus.

 igitur

igitur Sabbati nocte, qua viri ſancti anima a carne ſoluta eſt, in Eccleſiam defertur, vt ſequenti die Dominico corpus ſepulturæ mandaretur. Ad multam vero noctem ſplendor quidam ſuper illius exanime & defunctum corpus illuxit, qui ſolis radios ſua luce ſuperare, ac totum chorum vbi ille repoſitus fuerat, illuſtrare videbatur. Multi præterea ciues Conchenſes & de Medinacæli eadem nocte, qua S. Didacus beatam egit animam, ſtellam reliquis maiorem ac illuſtriorem apparuiſſe affirmarunt: quæ plane ita omnium oculos ad ſe inſpiciendam ac contuendam conuertebat, vt rei nouitate commoti frequentes domo egredi cogerentur. Hærebant enim an aliquid boni maliue portenderet, cum multi affirmarent huiuſmodi ſtellas ſignum mortis alicuius viri ſancti præferre, de quo creditum erat, eius animam in ſanctorum numerum in cælo receptam fuiſſe. Solet enim ſæpe clementiſſimus Deus ſanctorum ſuorum pietatē & ſanctitatem, quibus tamquam fulgentes faces & lucentia ſydera Eccleſiæ præluxerunt, cæleſtibus quoque fulgoribus indicare; vt omnium perſuaſione credatur, in cæleſti patria claros atque conſpicuos eſſe. Ita quidem ſupra domum famulæ Dei virginis Aldegundis ingens fulgor emicuit, quo tempore ſancta illius anima, quæ veram lucem Chriſtum Dominum adamauit, carne ſoluta eſt; vt vna cū luce in cælum reciperetur. Beatam quoque S. Pauli Eremitæ animam inter angelorum Prophetarum & Apoſtolorum choros niueo candore fulgentem a S. Antonio viſam teſtatur Hieronymus. Ergo cum iam dies Dominica illuxiſſet, vbi eius mortis rumor Compluti percrebuit, ingens hominum omnis ætatis & ſexus multitudo in Monaſterium confluxit; cunctiq. fere corpori adfuerunt, ita vt alij pileis, alij Coronis, aut pſalterijs B. Virginis, quidam libris orarijs, quos pietatis cauſa ad Eccleſiam deferebant, aut alijs huiuſmodi rebus ſacrum corpus Beati viri contingerent. Quidam præterea fimbrias vel tenuiſſima habitus ſegmenta vel capillos reſcindere, ſupplicesq. ori admouere & venerari conſpiciebantur; pars deniq. ſuauiſſimum odorem

*Splendor ſuper corpus B. Didaci.*

*S. virgo Aldegundis.*

*S. Paulus Eremita.*

de eius corpore,vt paulo poſt dicemus,prodeuntem ſentire affirmabant. O quantum luctus omnium, quantum mœrentium lamenta fuere, quibus ſanctum virum proſequebantur, in quem pius affectus lachrymas & ſuſpiria extorquebat. Demum eodem die in ſummo omnium luctu ſacris Miſſarum ſolemnibus expletis,defoſſa terra,cūcto Monachorum cœtu proſequente,ſepultus eſt in eo Conuentus loco,quem Fratres Capitulum vocant.

## *S. Didacus exhumatur, multo tempore manet inſepultus, & tandem in peculiari Arca reconditur. Cap. III.*

ERAT eo tempore in Complutenſi conuentu S. Mariæ de Ieſu ordinis S. Franciſci Guardianus Frater Ioannes Peñaluer vir integer vitæ & pietate clarus, cuius merito omnes illum venerabantur. Sed præcipue Don Alfonſus Carrillus Toletanus Archiepiſcopus, quem ſibi a confeſſione ſacramentali delegerat. Peñaluer pius & purus homo pie ſemper venerabilem Didacum ob excellentem vitæ ſanctitatem & adamauit & adhuc in terris agentē velut ſanctum coluit. Mortuo itaq; a c ſepulto Didaco, ingenti eius videndi deſiderio tenebatur, illius abſentiam lugebat, de eo ſemper cogitabat & mærens vix cibum capere, & ſomni quietem in vir i pij cogitatione defixus, & ob memoriam priſtinæ amicitiæ conciliare poterat. Quamobrem vt ardenti, quo tenebatur deſiderio ſatisfaceret, & an eodem adhuc vultu eſſet S. Didacus exploraret, eiuſdem Conuentus Fratrem iuuenem vocat,Capituli ianuas vbi triduo ante ſepultus fuerat, occludi iubet, & vt clam illum exhumaret, imperat. Protinus iuuenis mandata exequitur, terram eruit, refodit, extrahit:cumq. magnam iam partem eruiſſet, imprudenter ligone beati Didaci manum percuſſit. Nec mora, totus ille locus concuti ac tremere viſus eſt, vt facile quiſquam præſentem diuinamq. virtutem poſſet agnoſcere,quæ ſæpe cōcuſſa motu terra indicari ſolet. Quo prodigio territus Frater,

ter, putans ſe admoneri vt honorificentius ſanctum cadauer exhumaret, ligonem abijcit & manibus quod reliquum terræ ſupererat, extrahere nititur. Deniq; ſacro cadauere educto Peñaluer aduocatur, is concitato gradu accurrit, & viſum beatum Didacum lachrymans amplectitur, ſuauiſſime oſculatur & quaſi viuum alloquitur.

Nondum Peñaluer amplexum corpus dimiſerat, cũ ingens hominum concurſus ad monaſterium factus eſt, qui arbitrabantur, atq; iteratis vocibus conclamabant Didacum a mortuis ſurrexiſſe. Magnam hanc hominum accurrentium multitudinem magna ex parte trimuli cuiuſdam infantis prodigioſum dictum concitauit. Erat Compluti Aluarus de Gaa cuius infantulus trimus quarto iam ab obitu S. Didaci die, quo ſcilicet tempore fuerat exhumatus, patrem rogare cœpit his verbis: Duc me Pater ad vidẽdum Fratrem Didacum, qui me ab infirmitate, qua premebar, liberabit. Sed Aluarus Pater pueruli primum verba contemnens: Quorſum, inquit, illuc ibimus, cum iam ille obierit & ſepultus fuerit, nec eum iam vlla videndi copia fiat? cui infans: imo Pater viuit ſanctus Didacus, ac nuper me, facto manu ſua ſigno, vocauit. Quæ verba licet pater admirari cœpiſſet, nihilominus abnuit tertio, ſe illuc deductum, cum iam eſſet mortuus Didacus & ſepulchro conditus. Tunc infans cum Didaci aſpectum ſibi negari ægre ferret, in fletum prorumpit, ac lachrymas, quas vt pater compeſcere ac inhibere poſſet, illum manu in monaſterium eo conſilio deduxit, vt ibi Didacum iam ſepultum oſtenderet. Igitur cum ad locum Capituli perueniſſent, Aluarus infantem manibus ſuſtulit, quo poſſet inter cancellos ſepulturæ locum aſpicere. cui pater: ecce, inquit, ibi ſepultus eſt Frater Didacus, ſed protinus reſpondit infans; nequaquam pater ſepultus eſt Didacus, ego illum video, habetq. crucem auream in pectore & aliam ligneam iuxta pedes. Quæ vbi audiuit Aluarus, illico ad ianuam Capituli cucurrit, videtq. Didacum exhumatum, & crucem ligneam ad pedes eius, terramq. hincinde diſiectam. Fit confeſtim notum prodigium,

gium, quod fama ſedula ad omnium aures deduxit, adeo vt omnes videndi illum deſiderio rapide cucurrerent. Obſtupuit plane tunc vniuerſus populus, meritoq. miraculum arbitrabatur, quatriduanum cadauer, cui multa terra deſuper iniecta fuerat, illæſum & penitus incorruptum, ſuauem præterea odorem emittens, permanſiſſe. Sed premente tunc multitudine hominum, qui cadauer continuo frequentabāt, ſimulq. prohibente ne Didacus ſepulturæ mandaretur, non eſt iterum humi conditus; ſed in ligneam arcā illatus, quæ ſæpe aperiebatur. Ergo cum quinq; vel fere ſex menſium ſpatio inſepultus iacuiſſet, tandem in peculiari quodam ſacello, arcaq. optime munita & ferreis repagulis obſerata conditus eſt: vt paulo poſt dicetur.

## *De odore ſuaui, qui e corpore S. Didaci emanauit, & ſæpe etiam emanat.* Cap. IIII.

ILLA in primis omnium animos admiratio capiebat, valdeq. in Dei laudes excitabat, quod eo potiſſimum tempore, quo fœtor ex cadauere (ſicut mos eſt tabeſcentium ac putreſcentium corporum) erat oriturus, (iam enim ab eius obitu vſque ad exhumationem quattuor integri præterierant dies) e contrario mira gratiſſimi odoris ſuauitas, gratia & delectatio erumperet, lateq. per totum diffuſa ſacellum, in quo ſacræ reliquiæ quieſcebant, expiraret, omneſq. illuc aduentantes ſuauiſſime afficeret. Illud inſuper admirationem augebat & pietatem ac deuotionem maximam excitabat, quod quale eſſet odoris & ſuauitatis genus diſcerni non poſſet. Quamobrem Henricus Caſtellæ Rex cum ad venerandum beatum virum (vt ſuo loco dicemus) acceſſiſſet, odoris iucundiſſimi præſtantiam, qui ex eius corpore fluebat, admiratus, non eſſe illum vſitatum aut vulgarem, ſed plane diuinum affirmauit. Accedebat etiam quod non celerrime euaneſceret, aut deflueret; ſed multis menſibus eadem illa odoris vis in ſacro corpore perſiſteret, & more inſolito contra or-

*Henricus Caſtellæ Rex.*

tra or-

tra ordinem naturæ exhalans, ſentiretur. Quæ plane inſignia ſunt & aperta ſanctitatis argumenta, cum ipſa mortui corporis fragrantia & odoris ſuauitas, vt ait S. Gregorius, cunctis oſtendat in eo corpore auctorem ſuauitatis exiſtere. Videmus enim ex omnibus defunctorum corporibus fœdi odoris ſaniem profluere, ab illis maxime quorum protinus viſcera non extrahuntur, nec ſale durantur, nec aromatibus condiuntur: quæ cũ facile corrumpantur & tabeſcant, teterrimi odoris fœditates fundunt, quæ plane nullis odoramentis accenſis, nec multo ture flammis iniecto, nec vnguentorum virtute depelli ac ſuperari poſſunt. Contra vero multa ſanctorum corpora, quæ Spiritum ſanctũ inhabitantem toto vitæ tẽpore habuerunt, ſæpe diuina virtute gratiſſimos odores expirant; cuius rei plurima extant exempla.

*Homil. 38 in Euang.*

*S. Virginis Dei genitricis ſepulchrum ſuauiſsimũ fundit odorem.*

Memoriæ prodidit S. Ioannes Damaſcenus, Apoſtolos Domini poſt tres dies a dormitione ſacræ Mariæ virginis Dei genitricis, loculum in quo ſacrum eius corpus fuerat repoſitum aperuiſſe, ſed (in cælum nimirum ſublatum) nequaquam inueniſſe; ex illis tamen, in quibus fuerat compoſitum, ineffabilem, quo fuerunt repleti, odorem prodijſſe. Decuit quidem ex illa ſanctitatis arca, quæ Dominum gloriæ, verum Deum & hominem virgo ſemper permanens diuinitus concepit & peperit, diuinum illum emitti odorẽ.

*Corpus ſancti Hilarionis ſuauiter olet.*

S. Hieronymus poſt decem fere ab obitu ſancti Hilarionis menſes a ſancto Heſychio illum Maiomam tranſlatum aſſerit, inuentumq. illæſa tunica, cuculla & palliolo, & toto corpore quaſi adhuc viueret integro, tantiſq. fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur.

*Mercurius Martyr ſuauiter olet.*

De Mercurio martyre ita ſcribit Metaphraſtes: Poſt eius conſummationem factum eſt corpus martyris album ſicut nix, emittens ſuauem odorem vnguentorum & ſuffituum, & propter hoc ſignum multi facti ſunt Chriſtiani. hæc ille.

*S. Suuibertus ſuauẽ emittit odorem.*

Cum ſancti Suuiberti corpus eleuaretur, maxima dulciſſimi odoris in eodem loco effuſa eſt fragrantia, cuius ſuauitas omnium ora & corda aſtantium reficiebat, ita vt nullus ambigeret, ibi adeſſe Angelorum choros.

Glorio-

Glorioſum S. Huberti Leodienſis Epiſcopi corpus nulla detrimenta paſſum, illæſum a diſſolutione atq; putredine poſt multos annos repertum eſt, & pro tabo atq; putredine, quæ mos eſt mortalium corpora defuncta contrahere, aromatum more illud perceptum eſt odorifero more feruere.

Ex ore ſanctæ Heduigis Duciſſæ Poloniæ, quam Clemens IV. ſanctorum catalogo adſcripſit, tertio ab eius obitu die priuſquam ſepulturæ mandaretur, ſuauiſſimus eſt odor profectus, & die xvj. anno MCCLXVIII. quo ſacrum eius corpus tranſlatum eſt, aperto ſepulchro odor mirificus omnium nares compleuit, animosq. ſtupore & gaudio affecit.

Eamdem ſuauiſſimi odoris fragrantiam de corpore ſanctorum Thomæ Aquinatis, Franciſci de Paula & aliorum profectam fuiſſe legimus.

Hoc etiam præterea de S. Didaco mirabile & eximia eius ſanctitate dignum memoratur, quod iucundiſſimus & ſuauiſſimus odor, de quo paulo antea dicebamus, ſæpe etiam nunc in eius ſacello a multis ſentiatur, ac tunc præſertim temporis, cum per illius interceſsionem & merita inſigne aliquod miraculum editur.

Anno MDLV. (vt ſuo loco dicetur) Dõna Maria de la Peñuela virgo Complutenſis, toto latere ſiniſtro contracto ac penitus ſine ſenſu, multisq. alijs grauiſsimis morbis afflictata, dum in ſacello beati Didaci deuotiſsime & ardentiſsime oraret, mirabiliter omni infirmitate depulſa, confeſtim ſanata eſt, & ſacellum beati Didaci & tota Eccleſia dulciſsimo ſuauiſsimoq. odore reſperſa. Vbi grauiſsimi viri qui tunc eum odorem perceperunt, ſupernaturalem, cæleſtem & maioris ſuauitatis quam ſint terreſtria omnia odoramenta fuiſſe affirmarunt. Hac etiam odoris ſuauitate miro modo illectus Doctor Saauedra, qui aduocandi officio Compluti laudabiliter fungebatur, cum viduus eſſet, relictis filijs & bonis omnibus legitime diſtributis, religionem Societatis Ieſu ſolemniter inire decreuit, quod qua ratione contigerit, paulo poſt explicabitur.

F De

*De incorruptibilitate corporis S. Didaci, & de eius manu, quæ incluſo in arca corpore, in Conuentus Sacrario remanſit. Cap. V.*

QVAMDIV in arca illa lignea, quinq; vel ſex menſium ſpatio occluſus eſt Didacus, ſemper integer, illæſus & incorruptus viſus eſt, cum multum & ſæpe ab omnibus conſpici & videri poſſet. Nullam enim corporis fluxionem habuit, non compagis ſolutionem paſſus eſt, non carnis conſumptionem, non nigrorem, non aliquid quod eſſet euanidũ, aut quod emarcuiſſet, aut eſſet liquefactum; cum totus videretur incorruptus, ac ſi nuper eum reliquiſſet anima. Inde vero amotus anno MCCCCLXIIII. (eodem ſcilicet quo Rex Caſtellæ Henricus ex hac luce ſublatus deceſsit) in arca multis ferreis repagulis & laminis, clauisq. optime munita, & firmiſſimis obicibus contignata, Compluti in proprio ſacello, quod vſq; in hodiernum diem ſancti Didaci capella dicitur, repoſitus fuit. Altera tamen eius a reliquo corpore abſciſſa manus deuotionis cauſa in Sacrario eiuſdem Conuentus argenteo quodam reticulo affabre facto circundata remanſit: quam humiliter & pie venerari, ægris admouere, aut ad illos venerabiliter deferre etiam nunc Compluti mos eſt. Ex eo tempore numquã amplius extractum, aut a quoquam viſum fuit corpus venerabile, donec ad illud anno M. D. LXII. (nonaginta nempe & octo integris iam euolutis annis) cum Carolus Hiſpaniarum Princeps, filius primogenitus Maieſtatis veſtræ Compluti grauiter ægrotaret, velut ad extremum & dininitus comparatum remedium concurritur. Tunc enim magna vi & multorum artificium conatu, diſſolutis atque perfractis omnibus illis ferreis munimentis, eductum eſt ſacrum cadauer; cui vnicus dens tantum deeſſe & in parte naſi ſiniſtra aliquid ad quantitatem vnius vnguis abſumptum videbatur: cetera vero integra, capilli in ſupercilijs albicantes, oculi clauſi & prominentes & carne oppleti inſtar cogitabundi aut dor

mientis

mientis erãt. Barba item, brachia, manus ſiniſtra vna cũ foſſula quadam ſeu depreſſo loco, vbi centum fere annis ante, tempore obitus, vt ſupra dictum eſt, creuerat apoſtema. Pedes quoque & cetera membra perinde integra, illæſaq. inuenta conſpectaq. ſunt, ac ſi Didacus eo die deceſſiſſet. Habitus præterea Franciſcanus ſacrum cadauer inuoluens, & linteæ quædam ſtragulæ vultum obtegentes nullum paſſæ detrimentum, vt ſolet accidere illis quæ cum mortuis reconduntur; ſed quaſi recenter impoſitæ ac diligenter cuſtoditæ non ſine multa admiratione viſebãtur. Accedebat præterea quod nihil ex ſepulchro iniucũdũ & tetrũ, nihil quod offenderet odoratum, ſed bonus odor, ſuauitas, gratia & delectatio efflueret; tamquam non aliquod ſepulchrum aut loculus, ſed hortus ſuauiſſimis floribus conſitus, recluſus videretur. Et quoniam eo tempore Princeps moribundus iam iam animam agere videbatur, oportuit conuulſis repagulis, illiſis ferreis laminis & effractis obicibus, quibus claudebatur, corpus de arca raptim extrahere. Quæ licet celerrime facta ſint, nihilominus tamen abſque vlla fractione, vel comminutione membrorum illud delatum expoſitumq. eſt, adeo nerui oſſaq. omnia, articuli & compages inter ſeſe arctius cohærebant. Quæ plane non putabantur leuia ſanctitatis indicia. Quibus commota multitudo, tanta eo tempore in eum deuotione exarſit, tam ingenti præterea concurſu cõuenit, vt niſi militaris cuſtodia opportune pium impetum & religioſam irruentis populi vim cohibuiſſet, ſacras proculdubio reliquias in fruſta diſſecaſſet, aut religionis cauſa abſtuliſſet. S. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ integrum corpus aſſeruari Salerni, & Hilarionis poſt decem menſes illæſum cadauer, aliorumq. plurimorum ſanctorum venerandas reliquias integras poſt multos annos aut ſæcula inueniri legimus aut conſpicimus; omiſſis phyſicis rationibus, quæ ſæpe veram pietatem imminuunt. Certe quidem illorum ſanctitati & pietati non inepte membrorum integritatem aſcribimus, & tanto maiori deuotionis ardore eorum cultui meritos honores conſecramus, quanto

magis agnoſcimus dignari Deum, ne ſancti ſui in hac vita mortali corruptionem videant. Quæ licet ex illorum ſanctitate neceſſario non ſequatur, cum corporum integritas ſæpe ex naturalibus cauſis prouenire ſoleat, vt in medicatis conditiſq. funeribus experimur; tamen ſi alia ſanctitatis ſigna concurrant, & illa præterea condimenta tollantur, quę naturalem incorruptionem afferrę poſſunt; hæſitare, aut in dubium reuocare non decet, an hæc ſacrarum reliquiarum integritas ex ſanctitate & virtute proueniat.

## *De multitudine miraculorum, quæ S. Didaci interceſſione & meritis eduntur. Cap. VI.*

AB obitu S. Didaci vſque ad illius exhumationem, vt ex præcedentibus conſtat, quattuor tantum fluxere dies, in quibus præter pauca illa prodigia, quæ a nobis enumerata ſunt, nullis alijs miraculis viri ſanctitas nobilitata legitur. At die quarto, nempe XVI. menſis Nouembris MCCCCLXIII. poſtquam refoſſus, & odoris diuini ſuauitate reſperſus, & corporis integritate ac incorruptione clarus, & infantuli trimi illum viuere aſſerentis voce & teſtificatione, Deo corda hominum mouente, notus illuſtriſq. fuit; tam innumerabilem eius rei fama totius populi Complutenſis vicinorumq. oppidorum multitudinem traxit, vt hæc ipſa virorum mulierumq. frequentia & pius in eum affectus deuotioq. eius ſanctitatem indicaret. Tunc quidem maioribus ſignis & portentis, quemadmodum diuinitus erat ordinatum, eius virtus illuxit, tunc miraculorum frequens operatio ſubſecuta eſt. Confluebant vndiq. claudi, cæci, muti, ſurdi, leproſi, paralytici, febricitantes & varijs doloribus & angoribus affecti, vt a Didaco velut ſancto, ſicut re vera iam a populis credebatur, ſyderibus illato, venerabundi auxilium depoſcerent. Qui arcam in qua ſacrum quieſcebat cadauer, pie exoſculati, vel ante illam in genua prouoluti, ſancti viri ſe tutelę commendabant, aut illius manu, quæ vt diximus, inter

ter ſacras reliquias ſeruabatur, edito ſigno Crucis ſuper loco affecto muniebantur; vel aquam, in qua eadem manus eſſet immerſa bibebant, piaq. vota exoluebant, quæ ſalutis cauſa conceperant. Quibus rite peractis, diuinitus ſuis viribus reſtituti ſanabantur.

Interea Frater Alfonſus de S.Maria Ordinis Dominicani, qui eximiam B. Didaci viuentis puritatem & ſanctitatem admiratus, eũ in ſanctorum cœtu & numero repoſitum exiſtimabat; cum eius interceſſione tot tantaq. diuina ſigna ac portenta fieri vidiſſet; tanta diligentia viri beati geſta collegit, vt ante exactum integrum annum, ad Don Alfonſum Carrillum Toletañ. Antiſtitem pluſquam centum miracula deſcripta; & fidelis tabellionis manu obſignata detulerit. Illud præterea mirum, ex eo tempore quo ſacræ Didaci reliquię ſigna edere cœperunt, numquam ad eius ſepulchrum intermiſſa miracula, cum ſemper apud omnes vir Beatus celebri quidem prodigiorum nomine claruerit. Quo plane permotus non modo populus Complutenſis, omniſq. circumuicina regio, ſed etiam vniuerſa Hiſpania in admirationem adducta, ad eius ſacellum tamquam ad omnium medicamẽtorum promptuarium, & ad omne morbi ægritudiniſq. genus valde idoneum depellendum accedunt. Nec vero qui ſe illi deuotiſſime commendant rei opinione falluntur, cum quotidie ab inſanabilibus ægritudinibus, pernicioſiſq. & animi & corporis affectionibus, eius merito & interceſſione liberati, experimento diſcant, quantum referat apud Deum, Didacum interceſſorem, piumq. precatorem habuiſſe.

*Henricus eius nominis IIII. Caſtellæ Rex, & Don Alfõſus Carrillus Toletan. Archiepiſcopus, plurimiq. alij Didacum inuiſunt & venerantur. Cap. VII.*

SED, cum hæc pronis omnium ad pietatem animis agerentur, clara conſtanſq. tot miraculorum fama ad Henricum Regem Caſtellæ eius nominis IIII. tunc in oppido de Madrid commorantẽ, perlata

perlata eſt; ex qua qualis quantusq. vir Compluti deceſſerat, non obſcure didicit. Sed Rex pius & catholicus vbi primum ſua ætate & in ſuis ditionibus viros ſanctos florere conſpexit, maxima affectus lætitia, id quidem ſingulari Dei beneficio tribuendum putauit. Qua de re vt pium erga ſanctos ſtudium oſtenderet, Didacum pio proſecuturus officio, die xv. poſtquam vita exceſſerat, magna nobilium multitudine comitatus, Complutum venit, Regiaq. maieſtate depoſita, ante ſacrum eius cadauer genu obuoluitur. Qui cum integrum vultum & flexibilia membra conſpiceret, erigi primum defunctum corpus, tunc ſedentis inſtar collocari iuſſit. Sed vbi ad omnem motum & flexionem cadauer aptum vidiſſet, incredibili admiratione repletus, hac ſola, dixit, cauſa mortuum ſibi Didacum videri, quod caput ac ceruicem inclinaret. Suauitatem præterea odoris, quem corpus illud tam diu vita functum efflabat, olfaciens; talem ſe odorem ſentire aſſeruit, qualem S. Iſidori corpus, quod erat in oppido Madrid, expirare ſolebat. Poſtulauit præterea pius Rex, vt vultui, corpori & brachio in primis ſuo maxima ægritudine affecto, S. Didaci manus admoueretur; ſperans inde Beati viri merito ſalutare remediũ adfuturum. Sed præmio non caruit pia humilitas, ſanctaq. deuotio (neque enim ingrati vnquam ſunt ſancti) cum poſt diſceſſum, illum meritis beati Didaci priſtinæ reſtitutum ſanitati, qui erant a ſecretis affirmarint. Rex vero vt vicem animi grati rependeret, ſacellum in quo beati Didaci corpus reconderetur extruendum præcepit.

Eiſdem fere temporibus Don Alfonſus Carrillus Toletañ. Antiſtes vir pietate & religione mirabilis, Didacum inuiſens, cum eius membra poſt tot dies adhuc flexibilia conſpexiſſet, ſuiſq. ipſe manibus hac illacq. duxiſſet, valde miratus, nihil quidquam ſimile de aliquo viro ſancto iam vita functo ſe audiuiſſe aut legiſſe aſſeruit. Igitur cum iam vbiq. ſignorum gratia nota omnibus fieret, quæ Didaci gloriam non obſcure demonſtrabat, innumerabilem primum omnis ſexus plebem, illuſtres deinde viros & nobili-

tate

tate claros, & plurimum auctoritate præſtantes traxit, impulitq. nec circumuicinos modo, ſed ex eiuſdem Caſtellæ locis paulo remotioribus. Ex Aragoniæ præterea & Luſitaniæ prouincijs tam multos & frequentes concitauit, vt mirum omnibus videretur, quomodo Complutum tot gentes alere, aut monaſterium in quo Didacus quieſcebat, tantam hominum copiam capere potuerit. Enimvero tam innumerabilis omnis generis & ætatis hominum peccata deflentium, ſalutaremq. peccatorum expiationem poſtulantium multitudo confluebat, vt vix viginti periti ſacerdotes pænitentijs audiendis deſignati ſingulis diebus huic pio muneri ſatisfacere potuerint. Ex quibus pietatis officijs ex Didaci deuotione in Deum exhibitis, facile conſtabat, nihil quidquam ex tot ſignis & prodigijs ad dæmonis dolos aut præſtigias pertinere. Sed id plane totum diuinũ eſſe, omnesq. illius actiones a bona cauſa profectas, in optimum & Deo placentem finem referri. Nominis quoq; celebritas maxime infideles permouebat, vt ad virum diuinum contuendum & admirandum accederent. Nam cum duo docti Iudæi, ac quamplurimi Mauri, qui eo tempore Hiſpaniam Principum patientia incolebant, videndi Didaci gratia ad eius ſepulchrum aduenissent, vultumq. minime horridum (qualis vt plurimum vita functis eſſe ſolet,) manus, pedes, ceteraq. membra poſt xv. & amplius dies naturali calore deſtituta, minime tamen obrigentia, ſed in omnes potius partes flexibilia exploraſſent, id ſupra naturæ ordinem eſſe affirmarunt, indeq. valde mirabundi diſceſſerunt.

Sed reliquum eſt, vt ſingularia aliquot B. Didaci ſigna referam, cum omnia perſequi velle immenſi operis fuiſſet. Illa vero commemorabo, quorum probationes Eccleſiaſtici Iudices, aut legitimam iuriſdictionem & poteſtatem habentes receperunt: cetera vero quamquam S. Didaci interceſſione edita pie credamus, ideo tamen ſingulari cautela omittenda ducimus, cum ex antiqua Eccleſiæ traditione, & ex pontificio iure miracula expendere, & eorum legitimas

*Qualia hic miracula recenſeantur.*

mas conficere probationes, ad Epiſcopos, aut eorum ſubdelegatos merito pertinere noſcamus.

## *Puella pedibus manibusq. capta, ac muta & ſurda miraculo ſanatur.* Cap. VIII.

DVRON oppidum eſt in Hiſpania ditionis Seguntin. in quo puellula quædam nomine Catharina, Martini cuiuſdam filia, annos circiter nata duodecim, iuxta gelidum aliquãdo ſedens fontem, improuiſa quadam oppreſſa pernicie, muta illico & ſurda facta, & membrorum vſu præpedita, brachiorum pedumq. potiſſimum vires & officium amiſerat. Sed cum omnia medicamentorum genera ægritudine vincerentur, & multorum menſiũ ſpatio ſine vlla ſalutis humanæ ope puella, collapſis omnibus membris, diuturno morbo langueſceret, oppleta lachrymis, ore muto, quibus poterat nutibus diuinam miſericordiam exorabat. Qua de re pietate commotus auunculus quidam eius, vir probus & pius, illiusq. iniquam ſortem miſertus, auditis inſignibus beati Didaci miraculis illam ad ſacrum eius corpus viſitandum venerandumq. deduxit. Promiſerat enim ſe in ſacello vbi ille requieſcebat in Domino, nouemdiales acturum vigilias, & ſanctum virum deprecaturum, vt illam a tantis oppreſſam caſibus liberaret. Igitur nocte quadam XI. ſcilicet die menſis Decembris eiuſdem anni MCCCCLXIII. vno tantum ab obitu S. Didaci exacto menſe, cũ iuxta eius ſepulchrum puella diuinam opem & beati Didaci interceſſionem imploraret, eiq. Fratres pie ſacram manum imponerent, & facto cum eadem manu ſalutiferæ crucis ſigno benedicerent, Vicario Conuentus præeunte, atq; hæc verba: *Laus Chriſto Ieſu*: prædicente, Catharinæ, quæ ſpei plena loqui nitebatur, protinus lingua ſoluta eſt; eademq. verba ſæpe diſerte repetiuit, ac reſtitutis ſenſibus & membris omnibus confirmatis, continuo euaſit ex morbo. Hoc plane inſigne miraculum Sixtus Pontifex maieſtate Pontificia, in diplomate canonizationis his verbis enarrat.

*Duron oppidum eſt in Hiſpania in diœceſi Seguntina, ex eo Catharina Martini filia virgo annos duodecim nata, cum ante aliquot menſes ſubita vi morbi ſurda & muta euaſiſſet, brachijs item pedibusq. paralyſi diſſolutis incedere nequiret, ad beati Didaci ſacellum delata cum ibi peruigilaret, eius tacta manu & in crucis formam conſignata illico & aurium ſenſum & loquendi facultatem recepit, membrorumq. vſu reſtituto, totoq. corpore confirmato libere qua libuit inceſſit, laudans & benedicens Deum.*

## *Mulieri pluribus annis mutæ ſermo reſtituitur, & lingua ſoluitur in voces. Cap. IX.*

TRIGINTA annos nata mulier ex oppido de Romanzos, decem & ſeptem integros muta permanſerat. Illa ad ſacellum B. Didaci deducitur nouemdiales vigilias actura. Sed cum ſacra ei manus admoueretur, in voces humanas ſtatim ſoluta, tam libere lingua vti cœpit, vt in laudes Dei diſertis verbis proromperet, & ſalutationem Angelicam, Orationem Dominicam, ſacrum Eccleſię Symbolum, aliaſq. pias preces recitaret. Quo rei miraculo affecti omnes qui aderant, immenſam Dei miſericordiam extollere cœperunt, quod ea tempeſtate ſanctorum ſuorum meritis & interceſſione magnalia facere dignaretur.

## *Duo quorum alter tremore, alter vnius lateris attractione laborabat, tacto corpore S. Didaci ſanantur. Cap. X.*

DVO ex Ilbina homines, quorum alteri manus corpuſq. tremore quatiebatur, adeo vt ne cibum ſumere, nec quicquam manibus tenere poſſet; alter dimidio latere contractus, ad venerandum S. Didacum, eiuſq. apud Deum auxilium implorandum ſupplices acceſſerunt. Cum vero de more ſacrum venerati cadauer, illud tetigiſſent, priſtinis viribus reſtituti, omni morbo ſoluuntur.

G *Puer*

*Puer crure contracto liberatur.* Cap. XI.

HOMINI cuidam de Tamajon filiolus erat, qui non dum ſextum annum exegerat. Sed vno crure contracto, tribus digitis altero ob contractionem breuiore, enormiter claudicabat. Pater vero ingenti deſiderio, vereq. affectu paterno commotus, filiolum ad S. Didacum deduxit, vt ſanitatem ab eo impetrare poſſet. Qui cum per ſeptem integros dies peruigil oranſq. in Monaſterio permanſiſſet, dum octauo die ſacro corpori puellum admoueret, ſtatim ſanum recepit, vt iam non cruribus vacillaret, ſed libere æquis paſſibus incederet. Perfunditur tunc maxima lætitia Pater ob receptum filium incolumem, debitaſq. Deo & ſancto Didaco gratiarum actiones refert.

*Alteri puero crura habenti arida ſanitas reſtituitur.* Cap. XII.

ACCESSIT etiam ad eundem Conuentum, vt ante ſepulchrum S. Didaci aduolutus exoraret, decem circiter annos natus puer; quem pia mulier humeris deferre, & cibum potumq. in os eius inijcere ſolebat; cum infelix ob membrorum ariditatē, pedum manuumq. officio fungi non poſſet. Erat etiam toruo ac truculento aſpectu, & ob morbi vim horribilis, vt monſtri potius, quam hominis figuram aſpiceres. Quem cum pius vir Frater Ioannes de Peñaluer adeo imbecillem ac macilentum morbiq. vi abſumptū nec pedes manuſq. mouentem vidiſſet, ad hoſpitium ægrorum deferri iubet, ratus illum eodem plane die acturum animam. Sed paulo poſt ad S. Didaci ſepulchrum admotus, ſacriſq. illius reliquijs de more conſignatus; vim ac vires accepit, vt iam validis ac firmis pedibus incederet. Qua de re Toletanus Archiepiſcopus, ac permulti eius regni viri nobiles, ac ceterorum plurima multitudo, quibus primum æger horribili deformitate

mitate terrori fuerat, cum illum firmatis iam pedum baſibus & cruribus carne oppletis obambulantem vidiſſent, meritas laudes Deo, ſanctoq. Didaco reddiderunt.

## *Graui renum dolore oppreſſus liberatur. Cap. XIII.*

PETRVS Gonzalez de Vceda, Eccleſiæ S. Iuſti Complutenſis præpoſitus (Capellanum maiorē vocant) tam graui ac difficili renum dolore affligebatur, vt nec ſomnum capere, nec aliquo corporis officio fungi poſſet. Sed cum grauiſſimis doloris acerbitatibus vrgeretur, ſe ad Monaſterium deduci fecit, vt ope diuina a tantis cruciatibus ſolueretur. Quem cum vidiſſet Frater Ioannes Peñaluer & Magiſter ſcholarum, manibus ne laberetur hinc inde fulcientes, ad S. Didaci ſepulchrum deduxerunt. Ingreſſus igitur venerabilem locum, vbi primum feruentes preces emittere, & illius opem humiliter implorare cœpit, illico ſuauiſſima conſolatione percepta, dum pium non vult deſerere locum, diuina ac ſalutari ope paululum a dolore refici ac ſubleuari ſenſit. Sed poſt aliquid temporis dum Frater Peñaluer manu S. Didaci ſigno crucis edito muniſſet, atque ſignaſſet hominem, ſtatim ingens calor per lumbos deſcendens omnem penitus dolorem ademit, ac ſalutem attulit, vt proprijs pedibus adnixus lætus exultanſq. domum reuerteretur.

## *Mortem infirmo cuidam prædixit Didacus, & vt res ſuas diſponeret, diligenter admonuit. Cap. XIV.*

EX oppido de Madrid graui morbo correptus quidam, nocturnas in ſacello beati Didaci vigilias ducebat. Nocte vero quadam precibus & orationi defixus, cum S. Didacum de arca in qua erat repoſitus, exeūtem ac inter eos, qui eius auxilium in eodem loco depoſcebant incedentē, ac ſuper infirmos manus

imponentem vidiſſet; ſuum pedem grauiter pede illius premi & calcari ſenſit. Sed ille pedis dolore affectus protinus ad Didacum: *Cur*, inquit, *Domine alios manibus tetigiſti, & me tuo pede calcaſti, vt grauem dolorem intuleris?* cui Didacus: *quoniam illi quos tetigi, e morbis conualeſcent, tu vero breui e viuis excedes: Quamobrem confeſtim in domum tuam propera, res tuas breui diſpone, nam tibi iam tali die & hora mors imminet.* Prophetiam certiſſimus euentus confirmauit, nam præſtituto tempore illum, vt Didacus prædixerat, certa mors abſtulit. Quod plane in oppido de Madrid, vbi tunc temporis Sereniſſimus Rex Henricus agebat, conſtanti fama omnibus innotuit. Magnum profecto & inſigne piæ prædictionis bene-
*Eſa. c. 38.* ficium, cum haud aliter ac Regi olim Ezechiæ per Eſaiam mortis exitus enunciaretur, vt opportuno in tempore peccatorum veniam imploraret.

## *Ioanna Henrici IV. Regis filia oris morbo ſanatur.* *Cap. XV.*

IOANNA Henrici IV. Regis filia (vulgo Infantam vocant) graui oris morbo affligebatur. Sed illa, vt auxilium a ſancto viro promereretur, quo tempore Henricus Pater ad viſendum venerandumq. ſacrum Didaci cadauer Complutũ erat profectus, ceream imaginem vultui ſuo perſimilem fieri iuſſit, vt eam pro ſalute & incolumitate ſua ad ſepulchrum Beati viri ſuſpenderet. Nuncupato igitur voto, quamprimum cerea imago extructa eſt, extemplo Princeps integræ ſanitati reſtituitur, nulla amplius morbi moleſtia affecta. Huius itaque beneficij memor, tanto celerius deuotiuſq. emiſſum votum reddit, quanto magis præter ſpem ſubita ſibi ſalus acciderat. Duobus itaq; famulis Complutum miſſis ad indicandum erga ſanctum virum pietatis ſtudium, promiſſam imaginem obtulit.

Mulier

### *Mulier partus periculo liberatur, & filiam quam edidit mortuam, meritis S. Didaci recipit viuam. Cap. XVI.*

CATHARINAE vxori Bartholomæi Sanchez oppidi de Ambroz vterum ferenti pariendi tempus adfuit. Sed cum excidere per ſe partus nō poſſet, illa in grauiſſimum vitæ periculum incidit ob tranſuerſum ab aurora vſque ad veſperam fœtum, quem cum tantum vnum e vulua pedem educeret, ſummis nixibus edere non poterat. Sed dum illa his anguſtijs abſque vlla ſpe ſalutis vehementer premeretur, & iam pariendi pœnis inualidæ, mors præſens immineret, Maria Garzia eius ſocrus ad B. Didacum, cuius illuſtria miracula euulgabantur, in tanta rerum deſperatione confugiendum putauit. Quærit igitur anxia ſocrus fide plena, num in oppido aliqua ſacrarum reliquiarum particula, vel ſepulchri puluis reperiretur; quem ægrotanti adhiberet, vt eam a tam difficili partu leuare poſſet. Sed vicina mulier infelicem miſerata, amictus S. Didaci exiguum ſegmentum, & ſepulturæ puluiculum ſedula offert. Quæ vbi primum periclitanti apponuntur, puluereq. conſpergitur, protinus dolor quo femina diuellebatur, abſceſſit, partus excluditur, & Catharina omni imminentis mortis periculo liberatur. Magna tunc omnes lætitia perfuſi ſubitam mutationem ſalutemq. beati Didaci meritis partam admirantur, eiq. repentinam feminæ incolumitatem adſcribunt. Eam tamen lætitiam, qua aucti videbantur, non parum minuit miſerabilis fœtus, quem mortuum & omni prorſus vitali ſpiritu deſtitutum ediderat. Ceterum Maria ſocrus noua ſpe, nouaq. fiducia excitata, denuo in genua prouoluitur, Didacum pro vita mortui fœtus exorat, ſeq. in illius ſacello nouemdiales vigilias acturam vouet. Sed Didacus tantum beneficium quod matri contulerat, nouo alio beneficio cumulauit: Nam cum per quattuor horas partus exanimis, ſicut ex vtero prodierat, perſtitiſſet; B. Didaci meritis

derepente reuocatur ad vitam, illi palpita tcor, intumeſcit pectus, membris omnibus ſenſus deducitur; denique totum corpus perfecte animatur: iam ſacro baptiſmatis fonte abluitur, & nomen auiæ ferens, Maria vocatur. Sed illæ tanti beneficij memores, votumq. ſoluturę Complutū veniunt, promiſſas ducunt vigilias, infantemq. reuocatam ad vitam, ſanam & incolumem ad beati Didaci ſepulchrum deducunt.

Hæc vero tam aperta & euidentia miracula, Sixtus V. Pontifex Maximus in diplomate Canonizationis grauiter his verbis complexus eſt:

*Cum Catharina Bartholomæi Sanchez vxor expleto ad pariendum tempore parere non poſſet, fœtus enim in vtero tranſuerſus alterum tantummodo pedem eduxerat, materq. miſera ab aurora ad veſperam in eo cruciatu permanens in ſummo vitæ diſcrimine verſaretur, & plane morti propinqua eſſet; ſocrus eius Maria Carzia vxor Ioannis Carziæ incolæ oppidi de Ambroz, Beati viri in maximis anguſtijs recordata ad eius opem confugit, itaque fruſtum amictus beati Didaci parumq. pulueris e ſepulchro ſupra parturientem nurum impoſuit, quæ ſubito mortuum fœtum edidit ipſa ſalua. Manſit autem mortua puellula aliquot horarum ſpatio: ſed eiuſdem Auia Maria iam ſemel Beati viri opem in matre experta, eum pro neptis vita tanto fidentius orare non dubitauit: quod cum deuote feciſſet, alterum etiam beneficium impetrauit, & puella ſacro baptiſmi fonte abluta, & geminæ vitæ munere a Deo donata diu poſtea ſuperuixit.*

## *Cæcus recuperat viſum.* *Cap.* XVII.

EX oppido de Agreda homo penitus cæcus auditis ſancti Didaci inſignibus miraculis, ad eius ſacellum peruigilaturus, ſeq. ipſi deuotiſſime commendaturus acceſſit. Cum vero manum S. Didaci oculis eius admouerent, ſtatim videndi facultatem aſſecutus in gratiarum actiones profunditur, dicens: *Ego miſer fruſtra per varia loca diſcurrens idoneum medicum inquire-*

*quirebam, cum tamen verus & perfectus medicus in hoc ſacello eſſet.*

## *Sterilis fit fœcunda, & parit.* Cap. XVIII.

Honeſta quædam mulier de Santorcaz octo annorum ſpatio ſterilitate laborabat, quæ cum in benedictione Domini prolem ſuſcipere vehementer cupiuiſſet, omnis eius conatus & deſiderium fruſtra erant. Itaque omni ope humana deſtituta ad S. Didaci præſidium confugit, petens ne ſe irritam ſpei abire pateretur. Precibus quoque promiſſum adiunxit, ſe in eius ſacello euigilaturam, prolemq. habitu S. Franciſci per integrum annum induturam, ſi ab eo hanc optatiſſimam gratiã exigeret. Sed non dum hebdomadæ tempus, quo pium votum emiſerat euolutum erat, & ſtatim feminæ vterus intumuit. Ex quo partu edidit filiam, quam habitu S. Franciſci induit, ne voti violati rea fieret.

## *Malo ſpiritu vexatus liberatur.* Cap. XIX.

Didacvs de Lorca filius Petri Gonzalez viri nobilis, ætatis fere viginti annorum, iuuenis a die natiuitatis ſuæ malo ſpiritu acriter vexabatur: a quo ſingulis diebus quinquies vel eo amplius in terram eliſus per integræ horæ ſpatium pene exanimis omne ſenſuum officium amittebat. Præterea iactatione motuq. capitis furens, tam diſtortos & indecoros oris & oculorum edebat geſtus, vt omnibus horrori eſſet. Interdum tanto tentabatur furore, vt ſæpe vinculis alligari ac valide conſtringi deberet. Sed cum patrem & propinquos ſibi maxime infenſos cerneret, ad monaſterium S. Mariæ de Guadalupe, vbi religioſus quidam ſibi conſanguineus habitabat, ſe contulit: vbi cum per aliquot dies moraretur, audit deceſſiſſe Compluti virum Dei S. Didacum multis miraculis inſignem ac clarum: quamobrem eo ad nouemdiales vigilias

lias peragendas & eius apud Deum auxilium implorandū, eundum putauit. Ergo vbi primum Complutum peruenit, ſtatim a ianua Monaſterij vſque ad S. Didaci ſacellum genibus flexis progreditur; & vltra promiſſum ac ſtatutum tempus diutius eo in loco commoratur: Vbi Didacum ſæpe, ſed tepide quidem & cum exigua deuotione, vt ſibi a Deo ſanitatem impetraret, nonnumquam negligenter rogabat. Videns vero ſe voti compotem fieri non poſſe, & eiuſdem mali ſpiritus concuſſionibus afflictari, in Guadalupe Monaſterium reuertitur. Sed rogatus a pio illo religioſo ſibi propinquo, num ad ſacellum B. Didaci acceſſiſſet, & ſe eidem Sancto deuote commendaſſet; eo ſe profectum fuiſſe affirmauit, ſed frigide quidem S. Didaci auxilium imploraſſe, & propterea minime ſanitatem aſſecutum fuiſſe. Tum vir religioſus iuuenem hortatur, vt iterum nudis pedibus ad S. Didacum reuerti, & nouemdialia deuotiſſime in eius ſacello agere animo conſtituat; ſperare enim ſe ex hac pia animi deuotione erga Didacum concepta, futurum eſſe, vt perfectam ſanitatem conſequatur. Quibus auditis Didacus de Lorca graui cordis dolore commotus, vbi tantiſper ſe a religioſi conſpectu ſubduxit, in multas diffuſus lachrymas, toto ſe affectu conatuq. beato Didaco cōmendauit, vouitq. nudis pedibus ad eius ſacellum ſalutis ergo iturum, in eoq. de more vigilias acturum. Iter igitur ſic pie ac deliberato animo aggreſſus, ad S. Didaci ſepulchrum iterum contendit. Quo cum perueniſſet, grauius quam antea moleſtiuſq. infirmitate afflictatur ac rapitur; ſæpe in terram deijcitur, proſternitur, conuoluitur. Sed is quanto grauius vexabatur, eo ardentius diuinum Beati viri implorare auxilium cœpit; ratus non aliter ſibi optatam ſalutem, & a grauiſſima & deſperata dæmonis vexatione liberationem poſſe contingere. Nec defuit diuinæ conſolationis auxilium; ne infelix adoleſcens concupito ſolatio, & diuinæ miſericordiæ munere deſtitueretur: Nam poſt continuas preces, frequenteſq. orationes, poſt multas lachrymas vbertim fuſas, poſt multa de imo corde tracta ſu-

ſpiria;

ſpiria; tandem in beatæ Mariæ Virginis aſſumptionis profeſto, cum in genua prouolutus in ſacello B. Didaci inſtanter & ex animo oraret, omni iniqui ſpiritus ſuperata, depulſaq. malignitate, a Deo integram ſanitatem aſſequitur; vt nullas amplius ſolitarum afflictionum anguſtias pateretur. Tanti igitur beneficij egregijq. muneris memor, immenſa lætitia perfuſus adoleſcens, in diuinas laudes conuertitur, debitaſq. Deo refert gratiarum actiones, qui ob merita interceſſionemq. ſancti Didaci, tantum ſibi ſalutis beneficium diuinitus contulerat. Hoc tam inſigne & illuſtre miraculum, in Diplomate Canonizationis, his verbis, maieſtate Pontificia dignis, retulit Pontifex Sixtus:

*Adoleſcens quidam erat annorum fere viginti, Didacus de Lorca appellatus, filius Petri Gonzales viri nobilis, qui Deo permittente ab immundo ſpiritu annos complures vexabatur miſerandum in modum, ita vt ſæpius interdum in die arreptus & ad terram alliſus horribiles corporis geſtus ageret, & veluti mortuus relinqueretur. hic ſe B. Didaco humiliter commendans, & in eius ſacello aliquandiu inuigilans, a miſerabili vexatione omnino eſt liberatus.*

## *Tres mortui ad vitam reuocati.*
## *Cap. X X.*

NON multo poſt tempore, in ſacello beati Didaci, tres homines adfuerunt, ſecum deferentes linteamina, quibus more Hiſpano defunctorum cadauera, quæ ſepulturæ tradenda ſunt, inuolui ſolent; aſſerentes ſe precibus & meritis B. Didaci, poſtquam reuera e viuis exceſſiſſent, ad vitam reuocatos, & propterea eos ad nouemdialia peragenda, & debita gratiarum munera perſoluenda acceſſiſſe. Eoſdem plane multi eorum propinqui comitabantur, vt ſimul gratiarum actiones pro beneficio mortuis collato peragerent.

## *Burgenſis quidam pedibus captus ſanatur.* Cap. XXI.

BVRGENSIS quidam pedibus factus inutilis, vix innixus baculis, inutilia membra trahere, ac ſuſtinere poterat. Is ad medicinæ commune emporium, ſacellum quidem beati Didaci acceſſit, vt morbi liberationem humiliter poſtularet. Itaque precatur ex animo, impetrat ſanitatem, baculoſq. quibus nitebatur in ſignum receptæ ſalutis in ſacello deponit, pedibuſq. innixus, toto corde & corpore exultans, recedit.

## *Leproſus mundatur.* Cap. XXII.

NOBILEM quendam virum Carmonenſem aſpectu plane deformem pruriens lepra reddiderat; qui vt beati Didaci auxilium imploraret, ad eius ſacellum conſuetas acturus vigilias acceſſit. Sed poſtquam aquam, qua ſacra Didaci manus abluebatur, ebibiſſet; omni prorſus corrodentis lepræ elabente cruſtula mundatur; & integræ ſanitati reſtitutus, domum diuino munere cumulatior reuertitur.

## *Vlcere peſſimo laborans ſanatur.* Cap. XXIII.

ALFONSVS filius Paſcualis de San Martin oppidi de Hontanar, graui quodam in dextero crure dolore laborans, tamdiu adhibitis medicamentis eum lenire ſtuduit, quamdiu tumor apertus eſt. Nec omiſſit emplaſtra apponere, quæ tamen nihil inueterato fiſtuloſoq. vlceri profuerunt. Augebatur enim quotidie morbus, maiuſq. ſuſcipiens incrementum, proximas partes inuaſerat atque corruperat. Itaque cum vehementer Alfonſus angeretur, audit in oppido de Valdoliuas adeſſe quendam pium monachum, qui inueteratas infirmitates & calloſas fiſtulas depellebat: ad quem protinus proficiſcitur, & cum eo diu recuperandæ valetudinis gratia

com

cōmoratur. Sed cum hanc curationē fruſtra tentaſſet, nihilq. ex ea præſidij conſecutus fuiſſet, exhauſtus ac ſuperatus morbo, ad oppidum de Hontanar, domum patris re infecta reuertitur. Creſcebat tunc vbique celebris S. Didaci fama, & illuſtribus nobilitata miraculis, cunctas Hiſpaniæ oras fineſq. complebat. Qua etiam permotus Alfonſus, cum uis morbi manu hominū ſuperari non poſſet, quanta potuit deuotione Complutum, Beatū virum veneraturus, eiuſq. opem imploraturus accedit, Conuentum Franciſcanorum viſitat, & dum in ſacro Beati viri ſacello orationi intentus permanet, confeſtim quattuor panniculos, quos curandi vlceris gratia in eius concauitate, vt fit, reconditos deferebat, depelli ac decidere ſentit. Sed vbi ſacra viri manus, quæ tunc aſtantibus oſtendebatur, vlceri deuote & venerabiliter apponeretur, ex vlcere ſanguis viuus emanare cœpit; quo ceſſante ſtatim vlcus occluditur, eius ſimul labra comprimuntur, Alfonſus ſanatur ex morbo, nullumque amplius dolorem ſentit. Quamobrem in preces & orationes effuſus, Deo & B. Didaco debitum laudum & gratiarum officium perſoluit.

## *Claudus curatur.* *Cap.* XXIIII.

ALTERO crure claudus, qui non aliter quā duobus nixus baculis incedere poterat, ad ſacrum quoque ſacellum aduenit. Qui arcam B. Didaci, vbi venerabiles reliquiæ claudebantur, tangens, pieq. veneratus, ſtatim integram ſanitatem, piæ videlicet deuotionis & firmæ fidei præmium aſſecutus eſt; & relictis protinus baculis, quibus antea labentes greſſus ſuſtinebat, proprijs innitens pedibus, ac ſi nihil quidquam mali pertuliſſet, quocumque voluit libere progreditur.

## *Acri dentium dolore aſſlictata mulier liberatur. Cap. XXV.*

IAM graui acutoq. dentium dolore miſera quædam mulier afflictabatur, vt comedere minime poſſet: ei religioſus filius ſacri habitus S. Di daci ſegmentum dedit; cuius pia mulier particulam in os inſerit, quæ tactis dentibus non modo dolorem ſedauit, ſed etiam depulit. Aſſeruit præterea mulier, ex ſacris reliquijs quas ore ſumpſerat, tantam ac tam ſuauem dulcedinem percepiſſe, vt nihil aliud ore contingere, aut deguſtare vellet. Deniq; omni dolore ſedato & comedit & bibit abſq; aliqua dentium infirmitate, aut labefactatione.

## *Paſtor Burgenſis crure & brachio aridis ſanatur. Cap. XXVI.*

EX prouincia Burgenſi Paſtor quidam miſerrimus, crus ſiniſtrum & brachium aridum, ſiccumq. habens, vna cum toto latere, quod mouere non poterat, ad monaſterium S. Franciſci Complutenſe B. Didaci opem imploraturus acceſſit; eius vero crus humi repens infeliciter trahebatur, brachium vero e collo pendebat. Igitur cum ille tres quattuorve dies in ſacello beati Didaci deuotiſſime auxilium imploraſſet, dicto ocius ſanitati reſtituitur, ſuæq. fidei mercedem accipit, vt iam pede ſiniſtro æque ac dextro expedite vteretur, brachiumq. ſimiliter ariditate prius correptum & conſtrictum, facile moueret, & illius officio ſine aliquo impedimento fungeretur. Qua de re ingentes gratias Paſtor Deo immortali reddidit, cum ob merita beati Didaci tam inſigni fuiſſet beneficio cumulatus.

## *Sanatur quædam, quæ paſmo corripiebatur.* *Cap. XXVII.*

MVLIERI cuidam de Illeſcas filia erat, quam grauis paſmus anhelaq. tuſſis quatiebat, atque vexabat. Illam igitur cum anxia mater diligeret, vt ægram deplorabat; maxime cum tam difficilis tuſſis depelli, aut emolliri non poſſet. Ad ſacellum beati Didaci filiam conduxit, vt affectu materno, pijs nixa precibus, magna ſpe, ingentiq. fiducia, a viro Dei ſanitatem filiæ imploraret. Nec fruſtrata eius ſpes fuit, nam protinus ſolatium miſera inuenit, filiamq. omni morbo ſolutam ac liberam in eodem ſacello accepit.

## *Quædam puſtulis, ſeu variolis laborans, ab extremo vitæ diſcrimine liberatur.* *Cap. XXVIII.*

IOANNI Soto, ex oppido de Chillaron, pago ſcilicet de Pareja, erat filia Catharina nomine, tam graui puſtularum (variolas & rubeolas notiori vocabulo alij vocant,) ægritudine affecta, vt oculorum lumen amiſerit. Tanto etiam dolore premebatur, vt nec quidquam alimenti ſumere, aut cibi tranſuorare poſſet. Quare cum vlla tandem eius vitæ ſpes reliqua eſſet, ardens candela moribundæ offertur, eiusq. manui (vt moris eſt) imponitur, cum iam illi extremus vitæ terminus immineret. Ergo dum in hoc ſummo vitæ diſcrimine Catharina verſaretur, pater tot rerum illuſtrium, quæ de beato Didaco ferebantur, & inſignium miraculorum opportune recordatus, poſitis in terram genibus, & ſumma qua potuit deuotione, mentisq. affectu, virum ſanctum quaſi præſentem affatur his verbis.

*Beate Didace, tranſitus portæ huius de Pareja, meæ eſt creditus cuſtodiæ; multi vero hac tranſeuntes, cum antea grauiter ægrotarent, vbi tibi ſe ipſos commendarunt, ſanos & omni infirmitate liberos omnibus profitentur & prædicant. Itaq; per Domini no-*

*ſtri Ieſu Chriſti paſſionem oro precorq. vt apud Deum pro filia mea interceſſor accedas; vt ob tua merita, eam mihi reddat incolumem. Iuro enim, ſpondeoq. ad tuum ſacellum me profecturum, in eoq. vna nocte euigilaturum, ſi a te hanc gratiam exorare, ac impetrare poſſum.*

Quæ vbi dixiſſet, ſtatim ad filiam decumbentem progreditur; eiq. lectulo appropinquanti, filia confeſtim oculis apertis, ac in illum coniectis, ait: *feliciter veneris mi pater.* Quo audito coſpectoq. ipſe ceteriq. qui aderant, valde mirati ſunt; cum exinde vis morbi vltra progreſſa non fuerit. Pater tunc filia incolumi recepta, voti ſoluendi cauſa, ad ſacrum Beati viri ſacellum contendit.

## *Ægrotans magnis febribus, iamq. morti proximus conualeſcit ex morbo.*
## *Cap. XXIX.*

MAGNIS febribus tenebatur Martinus Fernandez ex oppido de Alualate, quæ ipſum in extremum vitæ periculum deduxerant. Sed cum iam de gentis more, candelam accenſam, quæ cito morituris dari ſolet, manu tenuiſſet, & ſine vlla vitæ ſpe derelictus, & tamquam mortuus ſindone ſupercinctus fuiſſet: vxor beato Didaco maritum moribundum commendabat, idq. validis vocibus homini decumbenti & vix aliquid ſentienti ſignificabat, dicens: *Martine Fernandez ego ſpopondi promiſiq. te in oppido Complutenſi, in ſacello beati Didaci euigilaturum; quamobrem confide, & enitere quantum poteris.* Quibus vix tandem auditis, ac nouo ſibi robore immiſſo, ſindonem deiecit, & velut viuus & valens ita facturum reſpondit. Exinde ſaniorem ſe ſenſit, & paulo poſt ſubito ſanatus fuit. Quare ſine mora ſtuduit, vt voti ſoluendi cauſa Complutum proficiſceretur.

Captus

*Captus ſiniſtro latere liberatur.* *Cap.* XXX.

SPATIO trium annorum Fernandus Martinez ex oppido de Brihuega, toto ſiniſtro latere præpeditus, nullo brachij, cruriſue, (quæ omni deſtituta ſenſu minime nouebantur) officio fungi poterat. Auditis vero multis magniſq. miraculis, quæ B. Didaci meritis Deus operabatur, innixus baculis, ad eius ſacellum eundum putauit. Sed in die profeſto S. Bartholomæi, dum in beati Didaci ſacello inſtanter oraret, ſudarium produxit & Fratri cuidam porrexit, eumq. rogauit, vt illud ſacris Didaci reliquijs admoueret. Interim paret pio obſequio religioſus. Martinus vero cum ſudarium recepiſſet, eoque manum aridam inuoluiſſet, confeſtim ſalutis remedium ſenſit. Inutili præterea cruri ſudarium appoſuit: Mox vero ſalute recepta, ſolidataq. pedis baſi, ſine vlla læſione erigitur, & tantum virtutis opus meritis beati Didaci ſe impetraſſe aſcribit.

*Latere dextro capta liberatur.* *Cap.* XXXI.

CVM toto latere dextro, quod mouere non poterat, Catharina quædam, vxor Martini Ferrandi oppidi de Corlo capta fuiſſet, ſacellum, corpuſq. beati Didaci viſitaturam, ſe voto obſtrinxit. Complutum ergo proficiſcitur, & in venerabili ſacello quãta poteſt deuotione ſæpe ſanctum Didacum orat, vt ſibi ſanitatem reſtitueret. Non fuerunt tandem eius irritæ preces; nam antequam inde recederet, ſanatur; ibidemq. conſueta nouemdialia peragit.

*Cardiaco morbo affectus ſanatur.* *Cap.* XXXII.

HIERONYMVS quidam Segobienſis, tam vehementi morbo cardiaco (comitialem & caducum alij vocant) affligabatur, vt ſæpe grauiter humi collideret, ac ſingulis quindecim diebus

bus pro mortuo haberetur. Interim cum miracula, quæ interceſſione & meritis B. Didaci Deus operabatur, audiret; ſe nouemdiales vigilias in eius ſacello acturum promittit. Mox vero nuncupato voto, grauiſſima & periculoſiſſima infirmitate, quam numquam amplius ſenſit, liberatus eſt. Salutem itaque meritis B. Didaci acceptam referens, pie & deuote promiſſas vigilias peregit.

### *Plaga inueterata laborans ſanatur.* Cap. XXXIII.

OChoa de Gordejuela in parte anteriori tibiæ ſiniſtræ vulnus acceperat. Eo plaga a genu vſque ad talum aperta, tam miſerabilis, deformis, & fiſtuloſa remanſerat, vt ſæpius mori, quã eam perpeti ſatius duceret. Ergo cum duorum annorum ſpatio afflictatus, nullum medicum, aut chirurgum inuenire potuiſſet, qui morbum depelleret; cæleſtem quærens medicũ Complutum aduenit; vbi trium menſium curriculum expleuit, frequenterq. Deum, ac S. Didacum deprecatus eſt, vt ſe a tanto morbo liberare vellet. Differt enim diuina bonitas ſæpe petita remedia, quæ in noſtrum commodum cedunt; dum ipſa expectatione & augetur deuotio, & humilitas noſtra perficitur. Denique cum aliquando nouemdiali tempore peracto, in ſacro ſacello permaneret, plaga omnis obducitur, occluduntur vulneris labra, & æger fit tam ſanus & valens, ac ſi nullum vnquam morbi incommodum pertuliſſet.

### *Febricitans liberatur.* Cap. XXXIV.

ALfonsvs quidam Petri Philippi & Catharinæ filius, ardentiſſima febre correptus, cum aliquando ea vehementius laboraret, magna voce emiſſa, loquendi vſum amiſit. Inſuper ingraueſcente morbi vi nec edebat, ac nec edere quidem poterat. Anxij tunc & mæſti parentes, ac de vita filij naturaliter deſperantes,

rãtes,eũ B.Didaco,cæleſti nempe medico cõmẽdauerunt. Mox Alfonſus locutus eſt, & omni febri liberatus, æque conualuit ac ſi nullo morbo afflictatus fuiſſet. Pij tunc parentes tanti beneficij memores, promiſſas nouemdiales vigilias peregerunt, & gratiarum actiones Deo in ſacello B.Didaci læti reddiderunt.

*S. Didacus multos in vna domo varijs infirmitatibus affectos ſanat. Cap. XXXV.*

BACCALAVREVS de Cuenca artium liberalium magiſter ciuis Complutenſis, de quo ſuprà memorauimus, arctiori dum viueret cum S.Didaco amicitiæ vinculo tenebatur. Admirari enim ſolebat vir pius & prudens excellentem illius ſanctitatem in omnibus plane vitæ actionibus conſpicuam. Didaco vero iam vita functo, cum idem baccalaureus plurima ſigna, quibus Beati viri ſanctitas omnibus manifeſtabatur, conſpexiſſet, in omnibus ſuis actionibus, tribulationibus & infirmitatibus ad illius opem & præſidium confugiebat. Sed Didacus mortalis amicitiæ, & pij hominis memor, (nec enim ſunt immemores Sancti, nec terrenorum Principum more in altiori dignitatis faſtigio conſtituti, amicorum obliuiſci ſolent) ita per omnia iuſtis & honeſtis amici votis reſpondebat, vt numquam ille ad ſuas familiæq. ſuæ infirmitates curandas medicis indiguerit: cum ſtatim ac quemquam ſuorum Didaco commendaret, protinus perfectam ſanitatem aſſequeretur. Prolixum nimis ac laborioſum eſſet ſingula in hanc familiam collata a S. Didaco beneficia recenſere, ex multis tamen pauca commemorabo huic loco opportuna.

Laborabat aliquãdo idem Baccalaureus peracuto quodam ſtomachi dolore, quo ſe iam moriturum putabat; mox vero vt ſe Didaco commendauit, penitus ſublato dolore liberatus eſt.

Eius vxor acri capitis dolore vexabatur, & Didaci im-

plorato præſidio, ſtatim ſanitatem aſſequitur.

Eorum filius nomine Saluator, vndecim natus menſes, nocte quadam grauiſſimo dolore correptus, vehementer lachrymare cœpit; cuius plane dolorem nec medici, nec peritæ mulieres ſedare aut lenire aliqua ratione potuerũt. At vbi primum ad veterem amicum B. Didacum concurritur, confeſtim infans ab ægritudine liberatur.

Equidem magnum & vberrimum fœnus eſt cum bonis inire amicitias, & cum ſanctis pie & fideliter conuerſari; qui tempore calamitatum certius & ſecurius, quam quæuis magna humana remedia præſidio eſſe ſolent. Si enim infelices illæ & infames ciuitates, quæ olim immiſſo cęlitus igne, *Gen. 19.* iuſtiſſimo Dei iudicio perierunt, intellexiſſent quantum referat verſari cum bonis, quantum vtilitatis atque præſidij afferat bonorum ſocietas atque coniunctio, magno proculdubio pretio iuſti Lot amicitiam & conuerſationem retinuiſſent, eumq. ſuis finibus excedere vlla vnquam ratione permiſiſſent.

## *Quædam mulier peculiari affectu S. Didacum colens, ſingularia quædam beneficia aſſecuta eſt.*
## *Cap. XXXVI.*

NON fuit abſimilis Bartholinæ de Tapia erga Sanctum virum piæ deuotionis affectus, cum ſemper in ſuis infirmitatibus & preſſuris illius patrocinium inuocaret. Nec poſtulato deſtituebatur ſolatio, vt ex multis in eam collatis beneficijs, quorum vnũ aut alterum commemorabo, aperte conſtat. Sanguinis fluxu miſere aliquando angebatur Bartholina: quæ ex oppido de Madrid ad illius ſacellum viſitandum opem deprecatura acceſſit: ſed dum pio ſtudio viſitationis incumbit, integram ſalutem conſecuta eſt.

Laborabat præterea ophthalmia ſeu lippitudine, cum nubecula alterum oculum afficeret atque vexaret. Sed illa protinus ad Didacum accurrens, integram ſanitatem aſſequitur.

quitur. Dicebat enim in omnibus ſuis ægritudinibus, quamprimum ſe beato Didaco commendabat, præſentaneum remedium ſentire.

*Tumidos pedes habens liberatur.* *Cap.* *XXXVII.*

GRAVI pedum tumore trium menſium ſpatio affectus Ioannes quidam Sanchez, niſi baculo nitens, parum ſe aut nihil fere mouere poterat. Itaq; cum tres dies ſe in ſacello beati Didaci manſurum, ac totidem Miſſas in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis in monaſterio Franciſcanorum Compluteñ. celebrari facturum, emiſſo voto promiſiſſet; dum in ſacro ſacello pias preces ad Deum & Didacũ fundit, ſalutem ſibi diuinitus immiſſam ſentit; ac reſoluto tumore, perinde articulis probe fixis obambulauit, ac ſi nullã infirmitatem pertuliſſet.

*Gulæ morbo affectus ſanatur.* *Cap.* *XXXVIII.*

EADEM plane ratione eluxit diuina miſericordia, beati Didaci meritis, in Martino de Spinoſa, quem glandulæ quædam & tumores in gutture enati angebant, ac pene ſuffocabant. Qui ad nota iam & omnibus explorata ſancti Didaci præſidia confugiens, dum per eius merita & interceſſionem ſalutem ſibi a Domino tribui humiliter poſtulat, ſtatim periculoſo gutturis morbo & gulæ compreſſione liberatur.

*Mulier febricitans, combuſto ſuperſtitioſo Chirographo, confeſtim meritis beati Didaci ſanatur.*
*Cap.* *XXXIX.*

QVANTVM diſpliceant diuinæ bonitati ſuperſtitioſæ quædam obſeruationes, dæmonum arte & præſtigijs adinuentæ, & parum cautis & prudentibus hominibus ſub ſpecie pietatis fraudu-

lenter ſuggeſtæ; aperte ſubſequenti exemplo demonſtrari poteſt. Leonora quædam Gonzales Reginæ Ioannæ Henrici quarti Regis vxori a cubiculo, graui febri cum rigoribus laborabat, ac vehementer angebatur. Quæ vt diuino munere ſanitatem aſſequeretur, monaſterium S. Mariæ de Ieſu, ordinis S. Franciſci, oppidi Complutenſis, ſacellumq. beati Didaci ſe viſitaturam promittit. Egreſſa igitur ex oppido de Madrid, quamprimum pium votum emiſit, protinus a morbo releuari & ſanitatem ſe recepiſſe ſenſit. Ceterum venerabile ingreſſa ſacellum, iterum eadem febri corripi & vehementer affligi cœpit. Cum autem cerneret alios varijs infirmitatibus affectos a morbis conualeſcere ac releuari, diligentius cogitare cœpit, vnde ſibi contrarium proueniret. Quæ cum animo reuolueret, eius rei cauſam alicui ſuo graui peccato aſcribendam putabat. Interim huic piæ cogitationi propenſius intenta, ſe quoddā chirographum collo appenſum deferre, (nomina in Hiſpania vulgus vocat) opportune recordatur. Quod cū illico protuliſſet, & perito cuidā Doctori, qui in eadem domo Compluti commorabatur, indicaſſet; obnixe rogauit, vt quidquid illud eſſet igne abſumeret. Sed negauit ille, chirographum quod erat Arabice ſcriptum, combuſturum; donec verborum ſenſum ac ſignificationem agnoſceret. Alfaquinum igitur qui chirographum legat, aduocarunt. (Alfaquini olim in Hiſpania in Mahometanis erroribus periti ſſimi, qui alios eamdem impietatem edocebant, appellabantur) quo interprete diſcunt, chirographum dæmonum nomina, vna cum ignotis quibuſdam characteribus, continere. Confeſtim itaq; illud vt rem deteſtabilem in ignem conijciunt. Sed eo combuſto, Leonora quanta potuit deuotione, ad S. Didacum reuertitur; illum obnixe interpellat atq; exorat, vt Deum deprecetur, & pro ea interceſſor accedat, optatamq. ſalutem depulſa febri reſtituat. Igitur pia petitione finita, mulier omni morbo ſoluitur, exultanſq. Madritum reuertitur.

*Alfaquini qui ſint apud Mahometanos.*

Sed non multo poſt, cum aliquando in aurora e lecto con ſurgeret,

ſurgeret,iuxta puluinaria,alterum chirographum, ei quod Compluti fuerat combuſtum perſimile, & eadem plane ratione complicatum conſpicit. A ſpectu territa mulier,ſacro ſe ſigno Crucis muniuit,rata dæmonum arte, combuſtũ chirographum,iterum in eum locum delatum fuiſſe. Iterum ergo comburendum iuſſit, ne tantæ peſtis memoria remaneret. Sed cum illud in ignem inijcerent,flammæ crepitare ac ſordido fumo obuolui, ac rotari videbantur. Quæ plane indicia fuere impietatis,qua dęmones in ſuum obſequium homines impellere conantur; eosq. ſæpe, ſimulata ſpecie religionis, qualis vt plurimũ in his chirographis adeſſe præſumitur;miſeros in ſummam calamitatem inijciunt.

Vt vero tuto & ſine peccato huiuſmodi ſyngrapha geſtari poſſint, ac geſtantibus etiam pie proficiant; diligenter proſpiciendum eſt,vt nomina in illis deſcripta, nota intelligibilia & ſancta ſint; maxime vero vt incorrupte ex ſacris ſcripturis & Euãgelijs deſumantur. Nec etiam ignoti characteres, ignotaue ſigna,(præter ſolum ſignum Crucis & ſacras aliquas imagines) conſcribantur. Ne quid illa falſi, ficti, vani, ſuperſtitioſi, aut ad cultum & inuocationem dęmonum pertinens contineant. Poſtremum ne vlla ſpes in modo ſcribendi vel complicandi, neq; in materia in qua conſcribuntur conſtituatur:veluti quod in charta (vt vulgus vocat) virgine; aut in tempore, vt verbi gratia, cum ſol oritur, vel cum legitur Euangelium, aut cum quid aliud ſimile fit, quod nec ad Dei laudem ſpectare,vel alicui effectui naturali deſeruire poteſt. Quæ omnia ſi diligenter obſeruentur, quilibet facile dijudicare poterit, an huiuſmodi chirographa licita illicitaue contineant.

*Quid obſeruãdum vt nomina ſeu chirographa tuto geſtari poſſint.*

*S. Tho. 2. 2. q. 95. ar. 4.*

## *Vehementi lateris dolore vexatus, inuocato S. Didaco ſanatur. Cap. XL.*

FRATER Antonius Aquayo ordinis ſancti Franciſci, dum in conuentu de la Sazeda moraretur, tam acri totius lateris ſiniſtri dolore correptus eſt, vt nocturna diurnaq. ſomni quiete deſtitutus, vehementer

hementer vrgeretur, ac miſerabiles voces & querelas emitteret. Ergo cum duos integros menſes & quindecim amplius dies continuum dolorem pertuliſſet; anxius animi beati Didaci opem exorat, ardenterq. deprecatur, vt apud Deum intercederet, quo e tam miſero & calamitoſo ſtatu eriperetur. Sed peracta petitione & pia auxilij deprecatione confeſtim ſanatur, omni dolore ſolutus.

## *Puer valde infirmus tacto habitu S. Didaci ſanatur. Cap. XLI.*

IN oppido de Olmedo, Thereſa de Mercado filiolum nomine Bernardinum habuit, adeo ægrũ & debilem, vt pellis oſſibus hærere, oſſa vero inuicem diſiungi ac ſeparari viderentur. Cotes quidem Toletani Antiſtitis Architriclinus, Compluto Olmedum profectus, Bernardinum nepotem (erat enim ex fratre filius) miſere affectum comperit. Hic ſecum detulerat cum Compluto diſcederet, ex habitu & cingulo, ſeu corda ſancti Didaci exigua quædam ſegmenta, quæ Thereſæ matri commodans dixit: *Sanctus Didacus multa fecit, facitq. miracula, multos ægros ab infirmitatibus liberat, eoſq. priſtinæ ſanitati reſtituit: Quare ſuadeo, vt has eius reliquias puero apponas, eumq. Beato viro commendes: ſpero enim futurum, vt eius interceſſione Dominus illi ſanitatem conferat.* Obtemperat illico ſedula & pie credula mater, & filio decumbenti habitus cinguliq. particulam applicat, & Didaco commendat. Sed vbi primum ſacræ reliquiæ ægrotantem contigerunt, diuinum effectum operantur, Puerum continuo incolumem reddunt, vt ne vllum quidem in illo præteritæ infirmitatis veſtigium remaneret.

## *De iumento ſanato.* Cap. XLII.

MAGNA eſt in homines ſanctorum charitas, eximia miſericordia atque benignitas; qui nedum noſtri, ſed noſtrarum quoque rerum curam cuſtodiamq. ſuſcipiunt. Viri enim ſancti piorum, vt legi-

vt legimus, precibus inducti, vt rebus noſtris proſpicerent, ſæpe iumentis, quæ ad hominum labores ſuſtinendos ac iuuandos conferunt, ſanitatem contulerunt, Cuius rei Hilarion magnus ille Eremita ſanctitate & miraculis clarus exemplo eſſe poteſt. Qui cum vniuerſæ dæmonum turbæ, totiq. inferno formidabilis ſæpe iumenta curaſſet; ſæpe ab illorum corporibus inuiſibiles hoſtes expulit; vt S.Hieronymus teſtatur his verbis: *S. Hieronymus in vita Hilarionis circa mediũ.*

*Parum eſt de hominibus loqui, Bruta quoque animalia quotidie ad eum furentia pertrahebantur, in quibus Bactrum Camelum enormis magnitudinis, qui iam multos obtriuerat, triginta & eo amplius viri diſtentum ſolidiſſimis funibus cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, ſpumabat os, volubilis lingua turgebat, & ſuper omnem terrorem rugitus perſonabat immanis. Iuſſit igitur eum dimitti ſenex,* [ſcilicet Hilarion] *ſtatim vero & qui adduxerant, & qui cum ſene erant vſque ad vnum omnes diffugerunt. Porro ille ſolus perrexit obuiam, & ſermone Syro, non me, inquit, terres Diabole tanta mole corporis, & in vulpecula & in Camelo vnus atque idem es: Et interim porrecta ſtabat manu: Ad quem dum furens & quaſi eum deuoratura bellua perueniſſet, ſtatim corruit, ſubmiſſumq. caput terræ coæquauit; mirantibus cunctis qui aderant poſt tantam ferociam, tantam ſubito manſuetudinem.* Hæc Hieronymus. Qui eodem loco poſt manſuefactum dæmonis expulſione Camelum, cur iumenta interdum ille vexet & cruciet, ex ſermone Hilarionis grauiter oſtendit.

Præterea Sancti illi & Beatiſſimi viri Coſmas & Damianus, quorum auxilium qui pie implorant, vtiliter ſentiunt, auctore Niceta, quem laudat Metaphraſtes, non ſolum hominibus, verum etiam beſtijs gratis medebantur. Accidit enim aliquando, vt operatione ſatanæ Camelus fuerit confractus. Coſmas inſigni miſericordia motus, manu propria colligat, & diuinitus ſanat. *Nicetę teſtimonium habetur apud Metaphraſtem. 1. Nouēb.*

S. Bernardi oratione forocientem equum montibus errantem fuiſſe repreſſum, legimus. *refert Surius 27. Septemb. tomo. 5.*

Huius ergo pietatis & miſericordiæ non fuit B. Didacus expers. Nam cum vir honeſtus & pius Cotes mulam valde pericli-

periclitantem ob linguam admodum tumentem habuiſſet, ceream imaginem in B.Didaci ſacello ſuſpendit,eiuſq. auxilium poſtulauit. Quamprimum vero humile donarium, piæ deuotionis ſignum in ſacellum illatum eſt, iumentum integram ſanitatem aſſequitur. Diſcamus hinc non ſolum pro noſtra, ſed pro noſtrarum quoque rerum incolumitate & ſalute Sanctorum opem nobis propitiam deprecari.

## *Duo pueri à natiuitate muti loquuntur.* Cap. XLIII.

DEDVCTI ſunt aliquando ad S.Didaci ſacellum duo pueri a natiuitate muti, quorum Pater cum omnibus ſenſibus perfectos expeteret, Beati viri pro illorum incolumitate opem & auxilium expoſcebat. Orabat enim ſæpe, duplicesq. ad cælum palmas tendens,corde, oculis & lingua ingentis deſiderij affectum indicabat. Tandem vero preces illius auditæ fuere. Nam antequam e ſacello recederet, muti in expeditum ſermonem magna omnium admiratione ſoluuntur. Quod plane inſigne miraculum ne dum quidem in oppido Complutenſi, ſed in toto etiam regno percrebuit; adeo vt rei admirabilitate omnes in S.Didaci laudes excitarentur.

## *Febri cum rigoribus laborans ſubito ſanatur.* Cap. XLIV.

ILLVSTRIA miracula,quæ meritis B.Didaci Dominus operabatur,omnium fama longe lateq. ferebantur, homineſq. in admirationem rapiebãt. Quæ cum audiret nobilis femina Ioanna de Mendoza, quæ per duos integros menſes Compluti febrem cũ rigoribus patiebatur, & valde ægra & debilis in lecto decumbebãt;quo tempore rigor futuræ febris prænuntius eam inuaſerat, e lecto conſurgens, ardenti quadam deuotione ad ſacellum B. Didaci ſe deferri imperat. Quo delata,poſitis genibus coram altari eius ſacelli, in quo Didacus fuerat

rat ſepultus, ſaluatorem & redemptorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ob merita ſuæ paſſionis, & Didaci obnixe deprecatur, vt ſui miſereri & a tam diuturna febri liberare vellet. Quæ vbi protulit, antequam inde recederet, cum in pedes erigeretur, non ſolum rigor eam omnino deſeruit; ſed etiam febris & quæuis alia ſymptomata, quibus acerrime antea vexabatur, penitus receſſerunt. Vnde nobilis & pia mulier tam inſigni beneficio cumulata in laudes Dei & Didaci læta prorumpit.

*Dubitans de miraculis S. Didaci grauiſſimo dolore corripitur, & credens liberatur. Cap. XLV.*

RAVLO poſt obitum & exhumationem S. Didaci, Ioannes de Guadalajara ciuis Complutenſis, cū de miraculis, quæ per S. Didacum fieri dicebantur, vna cum alijs nobilibus colloqueretur, & de illis parum credulus dubitaret; colloquium deſerens in domum ſe contulit, vt ſomnum caperet. Sed dum ſomni requie frueretur, tam acri acutoq. dolore cruris iuxta genu corripitur, vt totam noctem gemens ac clamitans inſomnem duxerit. In ea cruris parte ante quindecim annos ille vulnus acceperat, quo ſemel curato, nullum amplius vſque in illud tempus ſenſerat dolorem. Sequenti igitur die dolore paululum releuatus, ſacram auditurus Miſſam, ad conuentum S. Franciſci proficiſcitur. Sed dum ante maius Eccleſiæ altare ſtans oraret, tam ingens eum dolor corripuit, vt humi ſedere compelleretur. Cogitat interim de S. Didaco, & quo commodius potuit, ad ſacellum eius progreditur, & ante arcam vbi ſacræ reliquiæ reconduntur, in genua prouolutus, quanta poteſt deuotione Deum rogat, vt propter merita S. Didaci, ſuam ſibi miſericordiam impartiretur, & a tam graui dolore liberaret. Perſtitit aliquo tempore in hoc piæ mentis affectu atque oratione, quam cum deuote peregiſſet, magnum & benignum calorem in locum affectum deſcendere ſenſit, quo protinus omnis dolor expulſus eſt.

*Alius quidam miraculorum S. Didaci incredulus miro edito ſigno credit. Cap. XLVI.*

AD confirmandam fidem ſignorum, quæ meritis & interceſſione S. Didaci edebantur, proximo adnumerato miraculo, commode ſequens prodigium annectitur. Non multo poſt obitum B. viri cum Alfonſus Gonzales clericus de Algete, aliquando Compluti cum quibuſdam honeſtis & nobilibus feminis de miraculis illius multa affirmantibus ageret; animi quadam indignatione permotus; *Quamuis*, inquit, *S. Petrus, vt mihi iſta perſuaderet, e cælo deſcenderet, ego nullam ei prorſus fidem adhiberem*. Habebat tunc in manu Alfonſus ſegmentum habitus S. Didaci. Sed vbi primum ea incredulitatis verba protuliſſet, tam copioſus humor ex habitu emanare cœpit, vt totam Alfonſi manum vbertim madefaceret. Viſo portento Alfonſus, valdeq. cum ceteris, qui aderant admiratus, quod aqua abunde ex habitu effluxiſſet, idemq. panni ſegmentum iterum humorem imbibiſſet, & manus amplius madida minime remanſiſſet, ſe ea quæ de beato Didaco ferebantur, vere credere affirmauit; vt quem paulo ante deſpiciebat, iam amaret, coleret & maxime veneraretur vt ſanctũ. Solet enim immenſa Dei benignitas ſæpe has dubitationes permittere, vt incredulitatis vulnera e cordibus fidelium euellantur.

*Puella mortua reuocatur ad vitam. Cap. XLVII.*

SERVIEBAT Compluti honeſto viro Aluaro de Gaa eiuſq. vxori paupercula quædam mulier, cui vnica filiola erat, quæ magna vi morbi, nocte quadam eiuſdem anni MCCCCLXIII. & menſis Nouembris, quo ſanctus Didacus obierat, ex hac luce fuerat ſublata. Mortua igitur puella & conclamata, Hera vt illam efferrent & ſepulturæ reconderent, imperat. Sed pius Aluarus miſertus famulæ, quæ materno dolore filio-

filiolam mortuã deflebat, magna quoq; in S. Didacum pietate & deuotione commotus, lachrymantem matrem admonet, vt ad ſacellum Didaci filiolam deducat, Deumq. precetur, vt propter merita illius, eam ſibi reſtituat, neue patiatur ſolam ſe ſine vllo ſolatio ſuperſtitem relinqui. Afflicta igitur mulier, & in maximam fiduciam excitata, eadem nocte mortuam filiam vlnis complexam ad Monaſterium deduxit. Quod cum clauſum inueniſſet, ſedulo fores pulſat, vt aditus ad viri Beati ſepulchrum fieret. Sed cum ad multam noctem monachi arctiori ſomno tenerentur, nulla ratione feminæ voces ac gemitus audire potuerunt. Interim ad pauimentum Eccleſiæ (quæ adhuc ob recentem fabricam nullis erat ianuis obſerata) progreditur, & iuxta locum chori, in quo Didacus primũ, vt diximus, † fuerat collocatus, emortuam filiam ponit. Vbi humiliter & frequentioribus gemitibus atque ſuſpirijs, quæ de imo corde trahebat, Deum exorare cœpit, vt eam iam defunctam ad vitam reuocaret. Igitur cum maximam complorationem edidiſſet, inter lachrymas & vlulatus filiam paululum reſpirare, eiuſq. pectuſculum intumeſcere, ac palpitare ſenſit. Quam cum arctiori amplexu conſtringeret, & os ori coniungeret, oculos quidem nigros ac macilentos, & ipſa morte compreſsos ac clauſos ſtatim aperiri, erigi, ac circunferri vidit; membraq. frigida & rigentia iam diuinitus animari ac vitæ reſtitui. Lætitia tunc ſumma perfuſa mater, diuinas laudes ingeminat, ac tã crebras lachrymas magno geſtiens gaudio effundit, vt incertum plane ſit, an fuerint maiores, quas extorſit dolor, quam quas recepta incolumitate exprompſit lætitia.

*Lib. 2. cap. 2.*

## *Febricitans ſubito ſanatur. Cap. XLVIII.*

CONSTANTIA de Mendoza honeſta & nobilis femina, quinq; menſium ſpatio diuturna ac inueterata quadam afflictata febri, quam nullus ex medicis quos aduocauerat, depellere potuerat, in

rat, in lecto decubuit. Hæc auditis tam multis illuſtribusq. Beati viri miraculis, ſe ad eius ſacellum deferri poſtulauit. Dum itaq; ante ſacrum corpus inſtantius in oratione perſiſteret, Deumq. humiliter deprecaretur, vt ob ſacratiſſimam paſſionem ſuam, meritaq. beati Didaci ſibi ſanitatem concederet, protinus ab ea omnis febris ac ægritudo receſſit, qua numquam amplius affici, aut tentari ſe ſenſit.

*Item alia grauitèr febricitans ſtatim ſanatur. Cap. XLIX.*

PER quinque hebdomadas graui febri vexata, Catharina quædam ciuis Complutenſis, in manifeſtum venerat vitæ periculum, a quo vlla medicorum arte liberari potuerat. Ad pium ergo & communem confugiens medicum, Didacum, qui nullis humanis adhibitis medicamētis gratis curabat, eius quanta potuit deuotione opem & auxilium implorauit. Nec ſpe inani fruſtrata eſt. Nam cum poſitis ante illius corpus genibus, vehementius Deum exoraret, vt ob merita S. Didaci ſalutem ſibi largiretur, mox diuinitus ſanitatem aſſequitur, & recedente febri, ſine vlla prorſus morbi incommoditate remanſit incolumis.

*Altero latere captus liberatur. Cap. L.*

PETRVS quidam filius Gomeſij de Illana, toto integro latere præpeditus, nec brachij, nec manus, aut pedis officio fungi poterat. Quam ob rem baculis nixus, inutilia membra, vtcumq. potuit, ad ſepulchrum beati Didaci traxit, ibiq. decem continuos dies, totidemq. noctes, ante ſacrum cadauer obuolutus, frequenti oratione diuinam miſericordiam exorabat. Nocte vero quadam cum Petrus ante ſacras reliquias vigilaret, neſciens quomodo aut qualiter factum fuerit, mirabiliter contractione illa membrorum ſoluitur, eiusq. brachium,

chium, manus, crusq. laxantur. Quo ſtupefactus miraculo ſentiens iam ſibi inutilia membra reſtituta, pedemq. firmatum, valde lætus obambulans, brachio protinus extenſo, ſacro ſe Crucis ſigno muniuit.

## *Cruribus & pedibus captus ſubito ſanatur. Cap. LI.*

GRAVISSIMO aliquando dolore correptus Dominicus Fernandez oppidi de Viñuellas, cruribus pedibusq. impeditus, ita factus fuit inutilis, vt niſi ab alijs tractus, moueri non poſſet; tam vehementi præterea dolore angebatur, vt vix reſpirare poſſet. Itaq; cum multam ſpem de meritis & interceſſione S. Didaci animo concepiſſet, iumento impoſitus, ad illius ſacellum deducitur. Qui vbi per quattuor dies ante ſacras reliquias inſtantius exoraret, Deiq. opem per interceſſionem Beati viri humiliter peteret, confeſtim doloribus ſolutus, priſtinas vires recepit, & ſolidatis pedibus, abſq; vllius præſidio, integer prorſusq. ſanus inceſſit.

## *Plaga inſanabilis occluditur & curatur. Cap. LII.*

SCALONILLA oppidum eſt ditionis Toletanæ, vbi Bartholomæus quidam Alfonſi filius, paruum quemdam tumorem in crure contraxerat. Humore vero maligno indies confluente, ad pugni magnitudinem excreuit tuber; qui Bartholomæum tam acri acutoq. dolore vexabat, vt omnem motum ac greſſum impediret. Duorum itaq; annorum fere ſpatio male affectus, medicos & chirurgos quæritans, neminem inuenire potuit, qui immiti morbo mederetur, aut aliquid ex tumore minueret. Tandem vero cum ad Conchenſem ciuitatem perueniſſet, chirurgum offendit, qui tumorem aperuit, ex quo multum ac peſtilens apoſtema graueq. olens profluxit. Sed licet ſedulam ac diligentem curationem chirurgus adhiberet, numquam tamen plaga occludi, nec dolor

lor mitigari aut leniri potuit. Poſtmodũ vero in altero crure alius ſimilis tumor exoritur; qui cum aliquantum excreuiſſet, ſuapte natura (graui tamen dolore remanente) apertus, nec poſtmodum occluſus, vehementer Bartholomæum vexabat. Audiens vero miracula, quæ Deus per Didaci merita operabatur; ad ſepulchrum Beati viri viſitandum, & nouemdiales vigilias in eo peragendas, ire conſtituit. Iumento itaq; impoſitus, in itinere, antequam illuc perueniret, dolore, quo grauiter vrgebatur, liberatur. Sed Complutum perueniẽs, promiſſum impleuit ſtudij & pietatis officiũ.

## *Quædam poſt partus dolores furioſa remanens ſanatur. Cap. LIII.*

PARTVS laboribus grauiter afflictata Maria vxor Ioannis Flores oppidi de Girindote, ditionis Toletanæ, ita inſana remanſerat, vt nullius rite ſenſus officio fungeretur, furentemq. duorum menſium ſpatio, catenis conſtringere oporteret. Maritus, vt e tam infelici ſtatu vxorem eriperet, quanta potuit deuotione, ad ducendas vigilias in ſacello S. Didaci ſe eam conducturum promiſit. Qui vt pium votum exolueret, quoſdam aduocauit, qui ſe adiuuarent, & eã vinculis ſolutam, Complutum ad ſacras reliquias venerandas conducerent. Emiſſo voto, quo tempore ad detrahenda catenarum vincula peruenerunt, mitem ac manſuetam, nec plane furentem ſicut antea repererunt. Solutis ergo vinculis illã iumento imponunt, ad ſanctũ locum deducunt; Didacumq. humiliter rogant, vt a Deo integram ſalutem furenti impetret. Sed nouemdialibus completis, ſtatim ceſſat furor, ſenſus valent, & mens ſuis ſedibus reſtituitur. Quod plane S. Didaco acceptum retulerunt: ipſa vero præ ceteris Maria motionem mentis & animi furorem teſtata, & diuinitus tributam ſibi ſalutem confeſſa, debitas Deo ſanctoq. Didaco gratiarum actiones reddit.

*Toto corpore factus inutilis liberatur. Cap. LIV.*

INVASERANT aliquando Antonium Frances ciuem Areualenſem, Reginæ Iſabellis familiarem, grauiſſimæ febres. Quas poſtquam per octo menſes pertuliſſet, tam acres exinde dolores ſuperuenerunt, vt toto corpore paralyſim membrorumq. reſolutionem pateretur. Itaq; cum miſeram ac magno cum dolore infelicem vitam ageret,& plurima, quæ meritis beati Didaci Deus operabatur, ſigna ſingulis diebus audiret; quanto potuit deuotionis affectu, ſe Beato viro commendauit, ſeq. in eius ſacello euigilaturum vouit. Votum igitur ſoluturus, iumento vehitur & in ſacrum ſacellum intromittitur; vbi nouemdialia ducit, & crebris precibus a Deo eflagitat, vt ſancti Didaci meritis ſe afflictum & miſerum curet. Singulis itaq; diebus ſalutis acceſſionem ſentiebat, fortiorq. efficiebatur, donec perfecte ſanatus, nullas amplius affligentis morbi moleſtias pateretur.

*Cæcus & toto corpore captus liberatur.*
*Cap. LV.*

PETRVS de Arjona ciuis Abulenſis graui infirmitate correptus, cum lumen oculorum & membrorum omnium vſum amiſiſſet; magnas acerbitates, ac dolorum cruciatus perferebat. Cum interim maximas vitæ calamitates, per quattuor annorũ ſpatium pertuliſſet, ſperans ſe meritis beati Didaci (cuius inſignia iam vbiq. ferebantur miracula) ſalutem conſecuturum,ad illius ſacellum ſe deduci fecit.Vbi tamdiu permanſit, ac vigilias duxit, quamdiu continuis precibus diuinam miſericordiam exorans, meritis & interceſſione beati Didaci, oculorum lumen, integritatem ſenſuum, membrorumq. omnium ſanitatem acciperet. Quadam vero nocte, dum placida quiete frueretur, ſtatim ſe ſanum ſentiens, apertis oculis lumen lampadis, quod ſacellum illuminabat,

aperte conſpexit: & citiſſime omnia membra iam ex morbo ſana facta inuenit. Quo inſigni miraculo in admirationem raptus, magnaq. lætitia perfuſus, ingentes ac meritas Deo ſanctoq. Didaco gratiarum actiones reddidit.

## *Brachium habens fractum & aridum ſanitatem aſſequitur. Cap. LVI.*

NObili viro Lope de Enzinas ciui oppidi de Hita, equo prolapſo caſu quodam ſiniſtrum brachium confringitur. Quod poſtmodum fractura & colliſione ita exaruerat, vt nec illud mouere, aut extollere per quinquennium potuerit. Interim vero a quodam ſuo nepote audit, meritis B. Didaci Complutenſis paralyticos, & membris reſolutos ſanari, cæcis viſum concedi, mutis vocem reſtitui, aliaq. innumera in Dei laudem miracula fieri. Quæ cum audiſſet, numquam ex eius animo excidere, aut elabi potuerunt. Itaque magno B. Didaci amore incenſus, in illum ſingulari deuotione mirum in modum afficiebatur. Ergo cum ab eo ſalutem ſperaret, nocte quadam, in ſomni quiete viſus eſt videre in clauſtro S. Didacum in ſella quadam ſedentem, ſeque ad illum nixum genibus euntem, rogantemq. vt ſibi a Deo ſalutem expoſceret. Exinde vero Didacum confeſtim dimiſſa ſede ſurrexiſſe, & cum alijs Fratribus per clauſtrum proceſſionẽ celebraſſe vidit. Qua peracta, cum Didacus in eadem ſede conſediſſet, indeq. hominem aduocaſſet, quid nam ab eo poſtularet, interrogat, cui Enzinas pie reſpondit, vt Deũ pro ſe deprecaretur, qui fractum aridumq. brachium ſanaret. Illico vero viſum ſibi fuit Didacum manibus ſuper ipſum impoſitis edixiſſe: *Ito, quoniam ſanus es*. Quo facto ſtatim ſomno ſolutus, arbitrabatur ſe vano quodam inſomnio deceptum ac deluſum fuiſſe. Sed mox cum brachium produxiſſet ac exploraſſet, ſanumq. ſine vlla mali affectione comperiſſet, in magnam admirationem raptus, vxorem & famulam aduocauit, lumenq. ſibi afferri popoſcit. Quo allato,

lato, brachium iterum inſpicit, agitat, pertentat; quod plane ſanum ac integrum per omnia reperit, æque ac ſi vllam vnquam confractionem ac colliſionem pertuliſſet. Valde ergo ob tam inſigne receptum beneficium affectus animo, meritas Deo Didacoq. reddidit gratiarum actiones.

## *Quædam grauiſſima infirmitate vexata ſanatur. Cap. L V I I.*

IOANNA Garzia Alfonſi Lobi filia, cum in territorio Madrilien. prope annũ Domini M D LIII. ad herbam Medicam colligendam profecta fuiſſet, onuſtaq. ac multo ſudore perfuſa reuerteretur, maligno quodam & corrupto aere oppreſſa, tres primores digitos manus dextræ ſibi contrahi ſenſit, ac totum deinde ſimiliter dextrum brachium intorpuit. Adhibitis interim aliquot medicamentis, cum nihil profeciſſet, peritus medicus qui morbi qualitatem & cauſam diligenter agnouerat, Hippocratis arte, aut humanis medicamentis tantam infirmitatem ſanari poſſe negauit. Sed paucis poſt diebus, grauiſſimus dolor renes inuadens, ita eam oppreſſit, vt minime poſſet incedere. Nam ſi interea baculo gradum firmare & in pedes ſe erigere niteretur, tremens & huc atque illuc vacillans, ſe ſuſtinere non poterat quin prolaberetur, & mox in pedes erecta non niſi difficillime procederet. Ergo cum omni ſe humano præſidio deſtitutam cerneret, & mirabilium operum S. Didaci notitiam haberet, nouemdiales de more vigilias in illius ſacello ſe deducturam vouit. Accedit igitur ægra ad diuinum medicum, vt eius opẽ ſibi propitiam ardenter poſtularet. Quæ dum nocturnas vigilias ageret, intempeſtæ noctis ſilentio, quando Fratres diuinas matutini laudes de more Domino perſoluebãt, magno ſe quodam ardore & ſudore perfundi ſentit; & quaſi extra omnem ſenſum poſita, vix tandem ſui compos efficitur. Paulopoſt ad ſe reuerſa, ac ſudore illo ceſſante, qui veluti diuinitus immiſſus omnem vim morbi depulerat, pro-

tinus illa digitos brachiumq. contractum extendit, libereq. nullis ſuſtentata baculis inceſſit. Quod plane totis duobus annis quibus tam maligna ęgritudine compreſſa fuerat, facere minime potuit.

## *Multis annis mutus locutionem recipit.* *Cap. LVIII.*

CVM Franciſcus Fernandez Luſitanus Hiſpali, Anno MDL. in furnum vbi vaſa vitrea conflabantur, ligna congereret; & vehementi calore æſtuaret, in impluuio domus, vt paululum æſtum temperare, & frigidiori aura frui poſſet, accubuit. Sed antequam inde recederet, loquendi vſum penitus amiſit, & nihil quidquam per tredecim annos integros loqui potuit. Non deſtitit tamen, conſultis peritiſſimis medicis, varia medicamentorum genera ſumere, quibus tam pernicioſam infirmitatē depellere, & linguæ vſum, priſtinamq; ſanitatem recuperare poſſet. Quæ omnia morbo cedebant, cum nec in humanas voces lingua ſolui, nec ipſe quicquam hiſcere aut pronuntiare poſſet; licet audiret & probe perciperet quæ ſibi dicerentur, aut quæ alij mutuo colloquebantur. Cum vero poſt tam longum ſilentiū, anno Domini MDLXIII. Complutum perueniſſet, ac ingentia miracula, quæ meritis beati Didaci Deus frequēter operabatur, cognouiſſet; nocte quadam in lecto recumbens, apud ſe firmo deliberauit animo, vnam ſe in ſacello beati Didaci Miſſam celebrari curaturum; & Deo ſanctoq. Didaco pie ſeipſum commendaturū, vt optatam diu ſalutem ac vocem aſſequeretur. Emiſſo igitur voto, ei ſomnus acceſſit. Paululum vero ante auroram in eodem lecto decumbens, Franciſcus e ſomno excitatus, ſenſit ſibi guttur grauatum ac oppreſſum maxime angi & afflictari. Protinus itaque vt primum potuit, e lecto ſe erigens, poſitiſq. genibus coram beatiſſimæ Virginis Mariæ ſacra imagine, quæ in eodem erat cubiculo, ei ſanctoq. Didaco in tanta gutturis preſſura & anxietate ſe commendauit, eorumq. opem & auxilium humiliter & deuote popoſcit. Sed dum

dum intra ſe preces ingeminat, iam loqui, iam voces proferre ſibi videbatur, nec tamen omnino an ita res ſe haberet perſuaderi poterat. Ergo vt apertius agnoſceret, atque experiretur, num vere vox ſibi reſtituta fuiſſet; Bartholomæum quemdam in eodem cubiculo iacentem, proprio nomine ſæpe compellat: qui loquentem admiratus, bis terq. quid vellet, reſpondit, Quem Franciſcus, an vere loqueretur, ſemel ac iterum rogat, cui Bartholomæus, eum vere loqui, vt res erat, affirmat. ſtatim igitur fit notum omnibus, qui in ea domo verſabantur, tam inſigne miraculum, eoque plures cōtubernales ſine mora conueniunt, & Franciſcum concomitantes ad ſacellum S. Didaci deducunt. Vbi Franciſcus peccata humiliter confeſſus, venerabile ac ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcepit, promiſſumq. implens votum; non tantum vnam, ſed tres quoque Miſſas celebrari curauit, immenſaſq. Deo, eiuſq. genitrici & S. Didaco gratias retulit, maximis laudibus diuinam miſericordiam commendans. Impoſterum vero tam clare & expedite locutus eſt, vt nullum amplius formandæ vocis impedimentum ſenſerit.

## *Quædam cruribus pedibuſq. facta inutilis liberatur. Cap. LIX.*

IOANNA Centenera Sebaſtiani filia, Didaci cuiuſdam ciuis Guadalajaræ vxor, cum in cella quadā vinaria valde frigida & humida Guadalajaræ, vt vinum diſtraheret, diutius permanſiſſet, brachijs, cruribus, pedibuſq. capta, ita euaſit inutilis, vt moueri non poſſet. Ceterum cum plurima ei medicamenta adhiberentur, eorum præſidio manus ſolum reſtitutæ fuere, cruribus interim pedibuſq. eadem penitus infirmitate per trium annorum ſpatium præpeditis. Afflictabatur præterea acribus quibuſdam doloribus, qui miſeras voces ac lachrymas eliciebant, quos vt medici lenirent, & crurum tibiarumq. ægritudinem depellerent, medicamenta alia ve

hementiora, quibus ſudores prouocari poſſent, tempeſtiue adhibebant; quæ omnia ab inueterato & graui morbo ſuperata ſunt. Itaq; cum morbus indies ingraueſceret, ſemperq. infelix femina lecto affixa decumberet; vt vix niſi ab alijs ſuſtentata, vel baculis nitens, idq. cum magna difficultate acerboq. dolore incedere poſſet. Tandem maritus miſero & infelici vxoris morbo affectus, eam humanis præſidijs deſtitutam, hortatur vt omnipotẽti Deo, ſanctoq. Didaco qui tot miracula operabatur, ſeſe deuote commendet, promittatq. in eius ſacello nouemdiales vigilias peracturam. Anno igitur Domini M D LIII. e ciuitate Gualajara, iumento vecta, magniſq. doloribus afflictata Cõplutum venit, vt votum exſolueret. Quæ ingreſſa Beati viri ſacellum, nondum quinque diebus exactis, paulo ante noctis medium, ſuauiſſima ſomni quiete corripitur. Quod omnibus, qui aderant admirationi fuit, cum antea ob continuos dolores nedum ipſa quidem quieſcere non poſſet, verum nec alijs liberum quietis locum permitteret. Ergo cum ſeptem fere horis vſque ad auroram diei ſequẽtis ſuauiter quieuiſſet, expergefacta nullam amplius doloris moleſtiam ſenſit, cum ſana iam firmoq. greſſu nullis adiuta præſidijs incederet. Magna igitur lætitia affecta, ingens receptæ ſanitatis beneficium B. Didaci meritis acceptum retulit; peccataq. humiliter confeſsa, ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramento ſe muniuit.

## *Crure ſiniſtro captus liberatur.* *Cap.* L X.

IOannes de Medranda ciuis Guadalajarenſis moleſtiſſima ac diurna febri correptus, ualdeq. omnibus viribus exhauſtis macilentus, ſiniſtro crure inutilis, vel paralyticus euaſerat. Cui etiã ſuperuenerunt dolores quidam moleſti ac peracerbi, qui ita hominem affecerant, vt aliter quam baculis ſuſtentatus incedere non poſset. Nullæ præterea ei vnctiones, nulla cataplaſmata ſeu emplaſtra profecerant. Itaq; tot tantiſq. malis

malis affecto & aliquando in lecto decumbenti, S.Didacus Complutenſis totmiraculis inſignis ac clarus in mentem venit. Quamobrem ſe eius ſacellum viſitaturum, in eoq. nouemdialies vigilias habiturum emiſſo voto promittit. Cum itaq; adhuc eodem cruris morbo laboraret, ſacellum ingreſſus, promiſſo vigiliarum tempore elapſo, nocte quadam poſtquam obdormiuiſſet, & placidam aliquantulum quietem cepiſſet, in ipſo fere mediæ noctis ſilentio, ſudare ſibi viſus eſt. Medranda igitur expergefactus, vt e lecto exurgeret, baculos quibus nitebatur quæſiuit; ſed cum bene ſe habere ſentiret, in genua prouolutus ad virginem Mariam orationem fudit; qua peracta, ſine baculorum præſidio, proprijs fiſus viribus tentat exurgere. Nec mora, ſurrexit ſanus ſolutus & liber, ita vt quacumq. vellet, incederet. Quod plane beneficium magnificans & laudans Deũ, ob merita S.Didaci ſibi collatum fuiſſe palam cõfeſſus eſt.

### *Puer hernioſus meritis ſancti Didaci ſanatur.*
### *Cap.* LXI.

ANno Domini MDLXII. Catharina de la Cruz ex oppido de Madrid, duos filios hernioſos, alterum nouem circiter annos, alterum octo menſes natum; quibus e rupto peritoneo inteſtina ad ſcrotum deciderant, ad ſepulchrum beati Didaci deduxerat, vt nouemdiales pro illis de more vigilias haberet, ſperans eis ſalutem Beati viri meritis impetraturam, cum illos S.Didaco erga quẽ ſingulari deuotione affecta erat, materna quidem pietate commendaſſet. Sed filius natu maior altera ſanatus parte, in qua tumor quidã relictus fuerat, altera parte hernia inueterata per ſex annos grauiter laborabat: cui quamuis omnia remedia quæ humana induſtria (præter ſolam ſectionem) parari potuerant, adhibita fuiſſent; immedicabilis tamen pars illa permanſerat. Ac ne maiore ponderoſitate omnia inteſtina per partem ruptam in alterum ſcrotum penitus dilaberentur, vſitatum inſtrumẽtum (braccale

cale vulgus vocat) quo viſcera ſuſtinerentur, mater addiderat: quo præſidio minus puerulus periclitaretur. Nec tamen id ſanitatem adferebat, nec eo imminuebatur acerbus dolor, quo certis ſtatiſq. temporibus vehementer miſellus affligabatur: cuius plane lamentationes & querelæ acrius piæ matris animum torquebant. Nocte igitur ſecunda, poſtquam vna cum filijs mater ingreſſa eſt ſacrum ſacellum, ad multam noctem puer natu maior ad vigilantem & orantem matrem acceſſit, rogauitq. vt ſibi braccale detraheret. Sed illa periculum timens ne inteſtina diffluerent, negat facturam: inſtantius tamen contendit puer, vt ſibi omnino ſubligamen diſſolueret, atq; detraheret; aſſerens iam ceſſaſſe periculum. Sed iterum mater pueri importunam petitionem, verita periculum, repulit. Ille vero inſtat, & ingeminat preces; cuius tandem importunitate victa mulier, in eodem ſacello braccale detrahit, ac perinde ſanum beneq. habentem filium reperit, ac ſi numquam inteſtina defluxiſſent. Læta itaq; ac geſtiens mater vna cum puero, miraculum aſtantibus patefecit, ac beatæ Mariæ Virgini ſanctoq. Didaco, cui longo ante tempore filium commendauerat, meritas gratiarum actiones perſoluit. Cur vero cum duos eodem morbo laborantes filiolos mater adduxiſſet, eoſdemq. ſimul beato Didaco commẽdaſſet, pro ambobus æquali pietate preces & lachrymas porrexiſſet; vnum tamen natu ſcilicet maiorem, ſanum receperit, alterum ægrum domum reportauerit; ſolus Deus cuius inueſtigabiles ſunt viæ, & occulta, nunquam tamen iniuſta & iniqua iudicia, rectus eſt iudex.

## *Febri papuliſq. laborans ſanatur. Cap. LXII.*

MOLESTISSIMIS febribus vexabatur Compluti nobilis vir Don Bernardus de Rojas: nec multis poſt diebus papulę exortæ (Tauardillo Hiſpani vocant) grauiſſimum vitæ periculum non obſcure indicabant. Cum vero in beatum Didacum magna deuo-

deuotionē affectus eſſet, duas in eius ſacello Miſſas celebrari fecit,& ei toto ſe animo menteq. commendauit. Quare infirmitate mirabiliter liberatus, ſalutis beneficium meritis beati Didaci acceptum retulit.

### *Honeſta quædam mulier a medicis deſperata, vbi ſancto Didaco commendatur, conſequitur ſanitatem. Cap. LXIII.*

HONESTA quædam mulier Complutenſis nomine Catharina de Oliuares vxor Garziç de Mondragon, ad annum Domini MDXLVI. ob periculum parturiendi grauiſſime ægrotauit. Eius curandæ prouinciam ſuſceperat Doctor Leon inſignis medicus, qui die quadam Catharinam ad primam noctis horam morituram marito denuntiat. Nec fuerat plane difficile ita prædicere, cum certa eſſent propinquæ mortis indicia, certi etiam paroxiſmi ac conuulſiones, quibus nares, aures, & mentum hincinde diſtrahebantur, atque vi morbi detorquebantur. Exploraturus vero medicus num in ægro corpore aliquis adhuc manſiſſet ſenſus, nullum in illa ſentiendi ſignum agnouit. Hæc itaq; conſpicatus peritus pariter & pius medicus, aſtanti marito inquit: *Ego nullum aliud remedium ſupereſſe video, niſi vt ſimul cum filijs tuis ad ſacellum beati Didaci eius apud Deum opem imploraturus, accedas; ab eoq. humiliter poſtules, vt vxorem tuam tibi ſeruet incolumem.* Paret maritus,& comitantibus filijs ad Didacum proficiſcitur, Deum exorat, vt ob illius merita ægræ ſanitatem vitamq. reſtituat. Eadem plane hora, qua illi orauerant, exiguo fere poſt momento Catharinæ grande ſalutis incrementum acceſſit. Sequenti poſtmodum die medicus eam bene valere videns, non ſine diuino miraculo id contigiſſe teſtatus eſt. Id quoq; maritus affirmauit,qui meritis B. Didaci vxorem recepit incolumem; qua cum quindecim annis & eo amplius poſtea coniunctiſſimè vixit.

## *Petrus Gutierrez de Nagera bis miraculo liberatur.* *Cap.* L X I V.

PETRVS Gutierrez de Nagera Complutenſis,qui poſtea fuit Eccleſię Collegiatæ SS.Iuſti & Paſtoris pręcẽtor, cum puer eſſet,anno circiter MDXIX. grauiſſima ægritudine oppreſsus, in maximum vitæ diſcrimen inciderat. Quem pia mater in lectulo decumbentem, Hieronymo fratre concomitante, ad ſacellum B.Didaci deduxit,totaq. nocte genibus prouoluta, immenſa ardentiſſimaq. deuotione B.Didaci auxilium poſtulauit. Sed mane ſequentis diei, ingens ſalutis augmentum aſſecutus eſt puer, quod ſemper accreuit, donec intra paucos dies integram ſanitatem acceperit. Omnes vero qui rei miraculum agnouerunt, vno conſenſu arbitrati ſunt diuina virtute puerum ad ſalutem reductum fuiſse.

Idem Petrus Gutierrez anno Domini MDXLII. apoplexia correptus, loquendi vſum prorſus amiſerat. Sed vocati periti medici cum omnes ægritudinis cauſas & varias circumſtantias exploraſſent, difficilem & periculoſum morbũ eſſe iudicarunt. Die vero ſequenti dum medici expectabantur, vt ægroto remedia adhiberent; mater angore animi ac luctu permota, ad S. Didacum properat. Vbi in lachrymas effuſa, frequentibus ſingultibus, ac lamentabili gemitu, alta voce, quanta potuit animi contentione & pio mentis affectu, his verbis Beati viri opem depoſcebat:

*Sanctiſſime & beatiſſime Didace, qui omnes ad te confugientes benigniſſima ſemper conſolatione foues & recreas, iam ante filium meum, cum eſſet puer, te adiuuante & intercedente, per immenſam Dei miſericordiam incolumem ſanumq. recepi. Eadem nunc ego infelix mater, eodem affectu materno commota; precor, vt tua ope vim morbi, quam non facile terreni medici ſanari poſſe putant, cæleſti præſidio depellas.*

Quæ cum ſæpe ac iterum eiſdem vocibus ac clamoribus repeteret, eaſdemq. ingeminaret preces, hanc a Deo meritis beati Didaci gratiam reportauit, & biduo elapſo, contra

tra quam medici crederent, quamuis decreta medicamenta apponere non deſtitiſsent, filium incolumem recepit.

## *Febri continua laborans ſanatur. Cap. LXV.*

CONTINVA permoleſtaq. febri Compluti laborabat Ioannes Gutierrez:cui medici multis adhibitis remedijs parum profuerunt: qua de cauſa æger in magno vitæ periculo verſabatur. Interim ad Guardianum Cōuentus ſancti Franciſci itur,vt beati Didaci manum honorificentiſſime mitteret, quam infirmus præſens tangere, ac venerari poſſet. Religioſus quidam ſacras reliquias confeſtim detulit, capiti decumbentis admouit, aquamq., in quam Didaci manus immerſa fuerat, vt eam biberet, apud eum reliquit. Ex ea hora ille meliuſcule habere cępit:deinde intra exiguū temporis ſpatium omnino conualuit. Aſtantes rei euentum,miraculo iā peracto, ſancti Didaci interceſſioni ſine dubitatione tribuerunt.

## *Quædam contractis cruribus ſanatur. Cap. LXVI.*

AGNES Diaz ambobus contractacruribus, vix baculis ſuſtenta miſera membra trahebat: quorum plane contractionem nulla medicamenta diſſoluere potuerunt. Humanis ergo deſtituta præſidijs, ex oppido de Madrid S.Didacum veneratura, & eius opem deprecatura, çurru impoſita ( neq; enim iumento inſedere poterat,) Complutum aduenit. Tanta vero erat eius membrorum deformitas, inutilitas, atq. diſtortio, vt quamuis baculis niteretur, etiam aliorum manibus ſuſtineri & fulciri oporteret, vt vel modice poſset incedere. Eadem ergo prima nocte, qua in ſancti viri ſacello nocturnas vigilias ducebat, in ipſo mediæ noctis profundo ſilentio, quo tempore Fratres matutinum officium perſoluebant, ſoluta iam crura atq; diſtenta ſentit. Quod an verum eſſet vel cupidæ ſolum menti obiectum ob ingēs ſalutis deſiderium,

experiri tentat. Surgit itaq; abſq; conſuetis baculorum fulcimentis, incedit erecta ac viribus valida, ambulat libere, & tanta ob ſalutis beneficium exultat ac geſtit lætitia, vt nolit vnquam vno in loco conſiſtere. Illico omnes immenſam Dei miſericordiam laudant, & quam ſit in Sanctis ſuis admirabilis, præſenti miraculo intuentur. Agnes ſanitate recepta, fulcimenta tanti miraculi indicia, in ſacello ſuſpendit; perſolutisq. debitis gratiarum obſequijs, animo exultans in domum reuertitur, vbi abſq; vllo preteritæ ægritudinis ſigno triginta & eo amplius annos vitam traduxit.

## *Iliorum grauiſſimo dolore vexatus liberatur.* *Cap.* LXVII.

DAGANZVELO oppidum eſt Toletanæ diœceſis non longe Compluto ſemotum: ex eo Alfonſus Rodriguez acerbiſſimo aliquãdo iliorum dolore vexatus, quamuis aduocatis medicis multa comparauerit, applicueritq. medicamenta, remedium tamen tã graui morbo, quo maxime affligebatur, & miſerabiles voces ac gemitus effundebat, inuenire non potuit. Deficientibus itaq; humanis præſidiis, ad cæleſtia & diuina confugit, & S. Didacum in ſuũ tutamen & auxilium inuocauit. Cui plane ſe deuote & ex animo commendans, promiſit ſe vnam Miſſam in eius honorem celebrari curaturum. Nuncupato igitur voto, ſtatim infra ſeſquihoræ ſpatium dolor exceſsit: vis morbi omnino remittitur, & qui antea acuto dolore, velut furijs agitatus angebatur, iam ſuauiſsima quiete perfruitur.

## *Quidã viſis nonnullis miraculis, S. Didaci ſanctitatẽ teſtãtibus, relicto ſæculo religionẽ profitetur.* C. LXVIII.

PETRVS de Sahauedra iuris Pontificij doctor & Compluti cauſarum patronus, aliquando ad annum M D L V. religioſo quodam amico inuitante ad Conuentum Franciſcanorum beati Dida-

ci

ci manum (quæ in templi ſacrario reticulo quodam argenteo circumdata ſeruatur) veneraturus, profectus eſt. Quo vbi ambo peruenerunt, in genua prouoluti, ſacram manum deoſculati ac venerati ſunt. Confeſtim vero comes ad Petrum conuerſus affirmauit ſe ſuauiſsimum ex ea manu prodeuntem odorem olfacere. Quem quia Petrus tunc ſimiliter non percepit, arbitrabatur propter aliquod ſuum graue peccatum ſe illius odoris minime participem fieri. Quamobrem valde cogitabundus domum reuertitur; vbi conſciẽtiam diligenter diſcuſsit, ac poſtmodum peccata humiliter confeſſus in S. Didaci ſacello ſacræ Miſsæ myſterium celebrari faciens, deuote venerabile Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcepit. Quibus peractis, cum ad ſepulchrum Beati viri magna pietate acceſsiſſet, admirabilem ac cęleſtem quamdam ſenſit ſuauiſsimi odoris fragrantiam, quam etiam domi apud ſe, cum ſingulis diebus in ſuum cubiculum oraturus intrabat, per quindecim & eo amplius dies, magna animi lætitia ac ſuauitate percepit. Ex eo tempore Petrus cum omnes actiones ſuas in Dei obſequium dirigere, eiq. ſincere & fideliter ſeruire decreuiſset, maior in eo, tum ex ſuauitate odoris, tum ex euentibus, quæ ex pio in illum ſtudio ſibi feliciter ſucceſſerunt, erga ſanctum Didacum deuotionis affectus excreuit.

Accidit vero vt cum aliquando eſset in Beati viri ſacello, velletq. arcam ſacrum cadauer continentem, ex ea parte, qua venerabile illius caput iacet, venerari; nullam ſuauis alicuius odoris fragrantiam ſentiret. Ratus itaq; dedecus quodammodo eſſe, caput ſuum capiti Beati viri coniungere, vt debitum ei cultum exhiberet, ad inferiorem arcæ partem vbi pedes iacent progreſsus eſt. Cum primum eam eſt oſculatus, eandem illam de qua antea dictum eſt, percepit dulciſsimi & iucundiſsimi odoris ſuauitatem.

Solebat præterea idem Petrus de Sahauedra, Athanaſij ſymbolum, *Quicumque vult*, in ſuo conclaui recitare: ſæpe tamen accidit, vt cum inchoare vellet, grauiſsimo timore perterritus & pauore concuſsus, illud pronuntiare non poſ-

ſet. Quo prodigio iterum ac ſæpe perculſus, ad ſacellum Sancti viri ſe confert, eius fauorem depoſcit, rogans ne amplius pium opus tam repentinus timor perturbaret, aut præpediret. Sed piæ preces locum inuenere: cum vnquam in poſterũ maligna illum perturbatio ac timor inceſſerit. Quod plane ſibi conceſſum fuiſse, meritis beati Didaci aſcripſit.

Accidit præterea, vt cum aliquot eius miracula ex libro autographo vbi ea conſcripta erant, in eius cõclaui tranſcribere voluiſset; ita ei manus intumuerit, vt nec calamum ducere, nec illum digitis ſuſtinere poſset. Dolore item tam acuto arreptus eſt, vt labefactari atque confringi ſibi ſpina dorſi videretur; quo factum fuit, vt nullo pacto erigi poſset. Sed vbi ſe deuotiſsime beato Didaco commendauit, confeſtim omni manus ſtupore ac dorſi dolore ſolutus, liberrime ſcripſit, illamq. ſuauiſsimam odoris fragrantiam ſenſit, qua maxime recreatus, & tot tantisq. acceptis beneficijs exultans, celeri manu ac currenti calamo plurima tunc miracula exarauit.

Ex his omnibus illud effectum eſt, vt Petrus qui tunc coniuge mortua cælibem vitam ducebat, relicto ſæculo, filijs & bonis omnibus abdicatis, & aduocati officio, quod exercebat renunciato, ſacram Ieſuitarum religionem inierit, in qua honeſtiſsime & integerrime viuens, magiſtratus in ea, quibus probati ſolum religioſi præfici ſolent, laudabiliter geſserit.

## *Quidam manibus & pedibus captus liberatur.* *Cap. LXIX.*

DISCESSERAT aliquando Compluto vbi habitabat Ioannes de Olmeda, vt rus proficiſceretur ad famulos ſuos viſendos, qui agros terrasq. colebant: Qui accepta pala, cum per aliquod temporis ſpatium, ſtercora ſubacto ſolo iniecisſet; tandem labore defatigatus depoſita pala humi iacuit. Sed cum paulo poſt exurgere niteretur, minime potuit: Nam pedibus manibusq.

manibusq. captus, nec ſe erigere, nec vlla vi mouere quidem valuit. Anno igitur integro & eo amplius hac membrorum imbecillitate præpeditus, non aliter quam baculorum fulcimẽtis innixus gradiebatur. Itaq; iumento vectus, ad ſacellum ſancti Didaci deducitur, duasq. ibi Miſſas celebrari facit; in quibus Dei auxilium per merita & interceſſionem beati Didaci poſtulabat. Eodem igitur die ſalutis initium ſentire cœpit, & paulo poſt omnino ſanitati reſtituitur, vt per triginta ſubſequentes annos abſq; vlla iſtius ægritudinis ſuſpicione vitam incolumem traduxerit. Quod ſibi Beati viri meritis accidiſſe confeſſus eſt.

## *Quidam a medicis derelictus ob multam ſanguinis effuſionem ſanatur. Cap. LXX.*

NON fuit minus beneficium beati Didaci meritis & interceſſione collatum in Ioannem de Olmeda ſuperioris Olmedæ filium: qui cũ malignum quoddam apoſtema in capite contraxiſſet, grauiter Compluti ægrotabat. Sed chirurgus dum aperire nouacula ſuppurationem nititur, venam ſibi forte occurrentem ſecuit, ex qua multum ſanguinis profluxit, qui nulla arte inhiberi aut reſtingui potuit. Ex quo profluuio cum maxime vires collapſæ fuiſſent, ſenſusq. defeciſſent, æger deſperatur, ac tamquam iam moribundus lecto reponitur. Religioſi qui iam iam morituro aſſiſtebant, patrem aduocant, vt filio ſuam benedictionem impartiretur. Benedixit pater, & receſſit plorans ne filium morientem aſpiceret. Vix quarta pars vnius horæ effluxerat, & pater nouis nuncijs iterum aduocatur, vt filium viuentem & ſaluum inſpiceret. Qui magna affectus lætitia, gratias Deo retulit ob filium vitæ reſtitutum, quem ob eamdem cauſam gratias Deo agentem inuenit. Hic tam inſperatus ac felix euentus meritis & interceſſioni beati Didaci aſcriptus eſt; nam quo tẽpore iſta gerebantur, Frater quidam Franciſcanus Olmedæ propinquus in Conuentu Compluten. duris ſe flagellis verberabat,

berabat, & a ſancto Didaco deuotiſſime petebat (id quod ſæpe alias fecerat,) vt a Dei miſericordia ſalutem ægrotanti depoſceret.

### *Alius qui ob ſanguinis profluuium iam moriebatur, tacto cingulo ſancti Didaci ſanatur.* *Cap.* LXXI.

INGENTEM ſanguinis fluxum ab aurora vſq; ad horam poſt meridiem quartam e naribus perfluentem, Compluti patiebatur Ioannes quidã de Montaluo. Ad quem cum multi medici acceſſiſſent, eiq. multa remedia adhibuiſſent, numquam tamen hic fluxus inhiberi potuit. Sed quidam ex medicis miſerum ac infelicem hominem contemplatus, ſolum diuinum præſidium ſupereſſe pronuntiauit. Igitur dum mors propinqua expectaretur, duo noti religioſi ex Conuentu Franciſcanorum, vbi ſacræ Didaci reliquiæ conquieſcunt, domum ægrotantis peruenerunt. Quorum vnus cum cingulo ſiue corda, quæ beati Didaci fuerat, ægrotantis nares & partem colli poſteriorem tetigiſſet, ſtatim ſanguis conſtitit. Quæ res omnibus admirationem excitauit, cum prorſus ignorarent, quomodo tam cito ſanguinis fluxus ſubſtiterit. Sed vbi intellexerunt Didaci reliquias ęgro adhibitas fuiſſe, protinus ob inſigne miraculum in eius laudem conuertuntur, ægerq. plane liberatus maximas S. Didaco reddidit gratiarum actiones.

### *Grauiſſima lippitudine laborans ſanatur.* *Cap.* LXXII.

AD annos MDXXVII. executor maior vicarij generalis Complutenſis (Alguazil vocant Hiſpani) cognomento Azuniga, tam graui lippitudine laborabat, vt nihil quidem intueri poſſet: Egebat enim ductore, qui eum per vicos oppidi conduceret.

ret. Igitur cum integrum videndi ſenſum meritis B. Didaci ſe recuperaturum ſperaret, in eius ſacello ſolitas duxit vigilias; vbi perfecte ſanatus, tanti beneficij memor, ornamenta, quibus Miſſam celebraturi ſacerdotes induuntur, confici, & ſacro ſacello donari iuſſit.

## *Donna Maria de la Peñuela multis grauiſſimiſq. ægritudinibus affecta mirabiliter liberatur.*
## *Cap. LXXIII.*

SI mirabilia virtutum ſigna, quæ a Sanctis eduntur, non obſcure indicant quantum apud Deum illorum interceſſio & merita valeant; profecto pauca quæ nunc commemoranda reſtant aperte illuſtrem Didaci ſanctitatem, & illius coram Deo incredibilem gratiam teſtabuntur. Donna Maria de la Peñuela Petri Hernandez de la Peñuela, & Donnæ Aloyſæ de Meſcues ciuium Complutenſium filia, annos decem & octo nata, cum anno MDLIIII. in domo patris, Mariam de Oſorio ſibi arctiſſimo amicitiæ vinculo coniunctam puellam morientem vidiſſet, tam vehementibus paroxiſmis, & cordis, totiuſq. corporis conuulſionibus & iactationibus corripi & concuti cœpit, vt vix multæ illam famulæ continere poſſent. Accedebat præterea, vt dum illa his anguſtijs premeretur, toto corpore mota, pedibus, manibus, capite, ceteriſq. membris immani modo tremeret ac palpitaret. Interdum pedes, manuſq. in pugnos arctiſſime contractas, vi morbi comprimeret, mox clauderet oculos, poſtmodum aperiret, diſtortos horribileſq. geſtus ederet. Sed ceſſantibus deinde concuſſionibus corporis, omni ſenſuum officio deſtituta, reſolutiſq. totius corporis neruis, collapſiſq. membris, apopletica ſeu paralytica remanebat.

Intra decem aut duodecim primos dies puellæ tantis malis alternatim afflictatæ peritiſſimi medici Complutenſes iuxta artis decreta, plurima remediorum genera, ſanguinis nempe emiſſiones, purgationes, vnctiones, aſſiduas fricationes,

cationes, cucurbitulas ad ſanguinem & vna cum eo peccantes humores extrahendos, aliaq. huiuſmodi adhibuerunt medicamenta; quæ omnia vim morbi euincere minime potuerunt. Sed mox, facta veluti conſpiratione malorum, aliæ ægritudines moleſtiſſimæ & acerbiſſimæ acceſſerunt, quibus femina torquebatur; acres ſcilicet capitis & graues lateris, iliorumq. dolores, aurium item inflammatio, quæ cum multis menſibus virginem affligaret, ſingulis fere aut alternis ſaltem diebus, teter & fœtidus ſanguis ex illis profluebat. Vrinæ præterea ſuppreſſio, quæ cum per ſeptem vel octo aut plures quandoq. dies meatum impediret, multorum dolorum cauſa erat. Concitabatur etiam in vomitum, quo plerumq. ore ſanguinem effundebat. Prima vero illa & præcipua paroxiſmorum & cordis compreſſio & palpitatio, quam morbum caducum eſſe dicebant, ma ius indies ſuſcipiens incrementum, frequenter virginem vexabat. Nam interpolatis quibuſdam temporibus, horribiles paroxiſmi, cordiſq. conuulſiones ac tremores miſeram puellam diuellebant. Sed antequam vis morbi acrius virginem afflictaret, frequentes quædam crurum, brachiorũ, manuumq. concuſſiones accedebant, quæ paulatim intendebantur: tota vis morbi in brachium & crus ſiniſtrum decumbebat. Nam vno fere poſt infirmitatis exordium elapſo mẽſe, paulatim membra iam affecta, vitio diuulſa, contorta, contractaq. manſerunt, vt brachium pectori & calcaneum, poſterior ſcilicet imi pedis pars inguini hærerent. Nerui vero & muſculi tam arcto peſſimæ affectionis nexu conſtricti erant atque compreſſi, vt nulla medicorum arte, aut viribus, neque quo tempore paroxiſmi vrgebant, neque illo quo ceſſabant, quamuis ſæpe id tentatum fuerit diſiungi ac diuelli potuerint. Paralyſis præterea ſeu reſolutio in neruis & muſculis exterioribus illius brachij & cruris adeſſe videbatur. Nam ceſſantibus paroxiſmis molles ac tractabiles manus, & digiti flexibiles in quamcumq. partem facile vertebantur. Paroxiſmis vero inuadentibus protinus rigebant & comprimebantur. Denique integrum la-

tus

tus ſiniſtrum, ſolo capite excepto, ita emortuum & quaſi exanime omni motu & ſenſu redditum fuit; vt quãuis acriter verberaretur, percuteretur, vrticis, alijſue aſperioribus rebus, vt fit, pungeretur, aut acu perfoderetur, vllo afficeretur dolore; cum nihil ſanguinis ex vulnere manaret. Aderant item frequentes oculorum conuulſiones ac diſtorſiones, quæ nunc vnum, mox vero alterum inuadebant. Ex qua re factum fuit, vt dexter tandem lucem amitteret, lingua quoque poſt proximos paroxiſmos per aliquot horarũ interualla, ſæpe ſuo officio deſtitueretur, nec in voces ſolui poſſet, quamuis puella loqui contenderet, ac niteretur. Stomachus etiam tot malis onuſtus ac nauſeans, confeſtim ſuſceptos cibos & alimenta reddebat. Ad hæc latus & crus lateris dextri, quod ſolum ſanum permanſerat, per aliquot temporum interualla quandoq. concutiebatur. Tandem ne ulla morborum colluuies aut intemperies deeſſe uideretur, hydropiſim contraxerat, qua ualde uenter intumuit.

Mæſtiſſimi parentes, quibus in florentiſſimo & nobiliſſimo oppido Complutenſi nec opes, nec prædocti medici deerant; ut filiam unice & paterne dilectam e tantis malis eriperent, nullum humani remedij genus omiſerunt; omnia tamen medicamentorum genera uis & malignitas acerbiſſimi morbi ſuperauit. Nec erat quicquam reliquum, niſi ut uel propinqua mors ægram abſumeret, uel ſola diuina virtus (id quod factum eſt) incolumem redderet. Deſperarunt penitus de ſalute medici, & in ſcholis Galenum aut Hippocratem interpretãtes, vbi multarum ſimul & grauiſſimarum ægritudinum exemplum exhibebant, ad vnam Mariam de Peñuela protinus ſermo conuertebatur: cum omnes lateret quę fuerint tanti morbi certæ & proximę cauſæ, ex quibus tanta ægritudo fluxiſſet. Sed poſtea aperte conſtitit hæc omnia propter gloriam S. Didaci ſerui Dei contigiſſe, vt eius virtus & ſanctitas tanti miraculi virtute conſtaret. Nam poſtquam per vndecim continuos menſes ita ægre laboraſſet, nec per quinque iam exactos vlla medica- *Simile refert S. Hieronymus in vita S. Hilarionis*

menta accepiſſet, omneſq. ægritudines, quæ in illam confluxerant indies excreſcerent; Parentes virgo deprecatur, vt ſe ad S. Didacum, cuius interceſſione ſalutem diuinitus conſequi ſperabat, (ardenti enim in Beatum virum deuotione ferebatur, ac ſæpe ad eum ire deſiderauerat) nouemdiales in eius ſacello vigilias peracturam deducerent; cuius plane ſtudio & piæ petitioni obſequuntur. Itaque grabato impoſitam die xiiii. Maij anno MDLV. ad horam noctis nonam (quod tempus ſi more Hiſpano numeremus, incidit in tres horas ante mediam noctem) ad ſacellum beati Didaci deferunt. Sed vbi peruenit ad Eccleſiam, primum ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum pie venerata, poſt deinde ante imaginem Conceptionis beatiſſimæ Virginis poſita, Deiparam ardenter adorat, ac deprecatur, vt gratiam ſanandi ſe beato Didaco impetrare dignetur. Mox ad illius ſepulchrum eodem lectulo vecta (neque enim aliter incedere poterat) accedit. Vbi in multas lachrymas effuſa, & quanto potuit animi conatu, mentiſq. deuotione excitata, certo ſperans ſe quod rogabat impetraturam, his breuibus & ſæpe repetitis verbis affata eſt:

*Beatiſſime Didace, concedito mihi id, quod venio deprecatura.*

Tunc vero frequentibus concuſſæ tremoribus vſitatus paroxiſmus ſuperuenit. Quo cum vnius fere horę ſpatio virgo corriperetur, & omni veluti ſenſuum officio deſtituta iaceret: protinus membra, quæ paulo antea quaſi artiſſimis vinculis erant conſtricta, omnibus qui aderant, & perito in primis medico admirantibus, extenduntur, licet velut emortua & ſine ſenſu remanſiſſent. Sed paulo poſt, puella quaſi e grauiſſimo ſopore excitata, ad ſe reuerſa, & omni paroxiſmo ſoluta, aſtantes rogat, vt intra ſacelli cancellos (nam extra illos iacebat) eam intromittant: cum paulo ante quam in ſacellum induceretur, & poſtquam in illud inducta fuit, ex toto latere contracto, copioſus & valde calidus ſudor effluxiſſet, nullo prorſus ſudore ex alio latere manante; quem quidem medici toto ægritudinis tempore, nullis pharmacis prouocare potuerant, vt iure optimo iudicatum

catum ſit, non aliter illum quam diuina ope contigiſſe. Ergo ſedulo illi obtemperant, & lecto vectam intra cancellos ſacelli inducunt. Quæ iuxta tumulum collocata, & ingenti fiducia concepta, iterum ſanctum Didacum obortis lachrymis exorauit his verbis:

*Beatiſsime Didace, poſtquam ego tanta fide & ſpe tot antea dies. ſacellum tuum viſitare, & hic te præſens in tua virtute & interceſsione valde confidens, venerari deſideraui; precor te, ne peccata mea reſpicias, ſed ob tuam ſanctitatem & merita, mihi ſalutem, quam expecto, conferas.*

Quibus dictis, cum mentis eſſet optime compos, tenuem imaginem quaſi vmbram iuxta ſe leui voce talia loquētem vidit: *Surge & veni mecum.* Quæ vbi audiuit, confeſtim puella confirmatis iam membris, velociter ſurgit e lectulo, & vtroq. ſimul in altum erecto brachio, manibusq. ſæpe mutuoq. colliſis, miraculum iterum atq; iterum conclamat. Mox tumulum amplexa, ſiniſtram manum, quam paulo antea conuulſam & conſtrictam habebat, per foramen intra arcam, vbi ſacræ reliquiæ cōtinentur, (quoniam S. Didacus eam ad ſe vocare, & ita monere videbatur) immittit. Hic aliud quoq; ſignum mirabile occurrit. Nam manus in arcam iniecta, adeo tenaciter comprehenſa eſt, vt nec ipſa puella, licet vi niteretur, nec aſtantes illam deducere & extrahere potuerint, donec tandem virgo iterum lenem illam S. Didaci a quo ſibi manus apprehenſa videbatur, vocem audierit, quæ in hæc verba monebat:

*Audiui tuas horumq. patrum preces, ito mox poſitis humi genibus, & terram ſæpe deoſculando, ad Deiparæ imaginem; quam cum huc accederes venerata es: referto illi debitas gratiarum actiones ob ingens beneficium, quod mihi concedere dignata eſt. Idem facito coram venerabili Euchariſtiæ ſacramento: & ad ſepulchrum Mariæ de Oſorio, quæ tot tibi dolorum cauſa fuit, denuncia illi, animam eius ſaluandam fore.*

Quibus prolatis manus ſoluta eſt, & libere dimiſſa, quæ iam receptis viribus, & proprijs membris inſiſtens, in genua prouoluta pia ac debita mandata exequitur. Me-

mor itaq; tam ſingularis beneficij, vt quantum poſſet gratum ſeruitutis obſequium Deo rependeret, primum religionis voto ſe obſtrinxit, perpetuáq. virginitatem ſeruare pollicita eſt, tum peccata humiliter confeſſa, ſacro ſe Euchariſtiæ ſacramento muniuit. Quæ dum agerentur, mater & aliquot eius famulæ, tum etiam medicus & nonnulli ex eodem conuentu Religioſi, alijq. quamplures adfuerunt, qui inſtante iam tempore recitandi matutinum officium, (erat enim fere vndecima noctis hora, ideſt, vna hora ante mediam noctem; minori enim quam duarum horarum ſpatio hæc omnia geſta ſunt,) partim vltro ad Eccleſiam, partim celebri iam miraculi fama conuenerant. Itaq; vt debitæ laudes Deo redderentur, protinus cantatur hymnus: *Te Deum laudamus*: crebriſq. ictibus percuſſæ campanæ, claro edito ſonitu, factum diuinum & memorabile demonſtrabant. Et quoniam is ſonitus in Conuentu Franciſcanorum in ipſo fere mediæ noctis ſilentio edebatur, aliquod inſigne, meritis B. Didaci patratum miraculum, quod ſæpe quidem contingebat, nón obſcure denunciabat. Fit tunc ex toto oppido ingens populi concurſus; eorum in primis, qui Mariam de la Peñuela ægram, eadem ipſa nocte, ad vigilandum in ſacello B. Didaci acceſſiſſe nouerant: Inter quos ipſimet medici adfuere, qui eam numquam curare potuerant, vt notius & illuſtrius, ſic Deo diſponente, fieret miraculum. Illi igitur qui eam antea afflictam oppreſſamq. calamitatibus, morti proximam pronunciauerant, nunc omni ex parte ſanam, inſiſtentemq. pedibus, nulliſq. adiutam præſidijs obambulantem vident. In maximam itaq; admirationem rapti Deum laudant, & beati Didaci ſanctitatem perfectius agnoſcentes, toto ſe illi animo commendant.

*Odor ſuauiſsimus e ſepulchro B. Didaci erumpens. Sup. lib. 2. ca. 4.*

Quo plane tempore, vt B. viri virtutem clarius agnoſcamus, ex ſepulchro & ſacello odor ſuauiſſimus emanauit; quē puella alijq. quamplurimi, vt ſuperius diximus, quaſi cæleſtium odoramentorum fragrantiam miro modo animum afficientem perceperunt.

Sed hac tam illuſtri miraculi fama grauiter offenſus antiquus

tiquus humani generis hoſtis, vt plurimos a B. Didaci deuotione abſtraheret atque dimoueret; e re ſua fore exiſtimauit, ſi vel miraculum factum negaret, aut ſaltem technis & machinamentis obſcurum redderet. Virginem itaque iam liberam & integræ ſaluti reſtitutam, & animo & corpore exultantem aggreditur, & horribilibus tentationum procellis adoritur, vt illam in iram Dei impelleret, & propterea meritis pœnis affectam priſtinis calamitatibus inuolueret. His enim artibus facturum ſperabat, vt non crederetur verum fuiſſe miraculum, aut ſaltem non ita putaretur illuſtre. Nocte ergo ſecunda ab accepta ſalute callidus ac veteranus hoſtis in eam cogitationem puellam impellit, ne caſtitatem, aut incorruptam virginitatem, quam paulo antea vouerat, cuſtodiret; ſed potius nuberet, cum a parentibus commode deſpondi, & honeſto loco collocari poſſet. Vrget præterea deliciarum incitatione, vt voluptuoſam vitam duceret, pretioſas veſtes indueret, auro, argento & gemmis ſe ornaret & coleret, & in ſæculo profano ac libidinoſo permaneret; vt inde ab omnibus quaſi digito indicari poſſit, ſe illam fuiſſe tam inſigni ac illuſtri miraculo ſanitati reſtitutam. Hæc & plurima alia vt a propoſito caſtitatis puellæ animũ aueterteret, per totã noctẽ inſidiator ac inuidus hoſtis ſuggerebat; vt hoc ſenſuũ luxu ac laſciuia, eã paulatim grauioribus peccatis inuolueret. In quo certamine cum iã pene his malis ſuaſionibus conſenſiſſe videretur; ne tandem victa hoſti cederet, aut inſidiatori ſuccumberet, diuinam opem, adhibitis religioſis deprecatoribus, qui pro ſe Deum exorarent, ſedula implorat, & auxilium B. Didaci ex animo deprecatur. Occurrit iterum vir beatus, qui iam fere labentis patrocinium ſuſceperat, & leni voce ac ſuſurro, vt alias in eodem ſacello locutus fuerat, animum labentis confirmat, & vt bono animo eſſet hortatur, neue tentationibus illis turbaretur admonet: Deumq. qui eam ſibi delegerat, ſicut olim beatum Hieronymum, in Eremo vbi magnis libidinis ſtimulis tentabatur, eius voluiſſe probare & experiri conſtantiam. Quæ vbi audiuit virgo, ingentes

*Grauiſsimę Dæmonis tẽtationes, vt inſigne miraculum reddatur infeſtum, vel obſcuretur*

gentes tunc gratias referens, totam ſe eius fidei & cuſtodiæ credidit, & iterum ſalutari confeſſione commiſſa peccata deuote expiauit. Confirmato itaque caſtitatis voto,& nouemdialibus vigilijs, quas in ſacello B. Didaci ductura promiſerat, abſolutis, iterum domũ patris reuerſa non fuit: ſed ex eodem Conuentu in quo ſanitatis beneficium ſuſceperat, ſolemni comitata proceſſione, magnas Deo & S. Didaco gratias agens, ad Monaſterium S. Ioannis de la pænitentia, tertij ordinis S. Franciſci, vt Monialis fieret, profecta eſt: vbi ſacro ſuſcepto velamine, ſolemnem profeſſionem emiſit, & in paupertate & obedientia perpetuam Deo opt. max. virginitatem, puriſſimamq. caſtitatem conſecrauit. Vixit in eo honeſtiſſime & incorrupte pluribus annis, vt profecto omnibus admirationi eſſet. Quæ quoniam illuſtri S. Didaci miraculo ſanata erat, inde cognomen deduxit, vocataq. fuit Maria del Sancto: quam Didacus Couarruuias Segobienſis & Petrus de la Gaſca Seguntinus Epiſcopi, in cauſa Canonizationis S. Didaci, auctoritate Apoſtolica ad conficiendas legitimas probationes Iudices conſtituti, anno Domini MDLXVII. menſe Maij, Compluti in eodem Monaſterio habendi eius teſtimonij cauſa colloquentes, viuam adhuc & incolumem inuenerunt.

Hoc miraculum in litteris Canonizationis Apoſtolicis comprehenſum, iuxta prima ægritudinis initia, quæ paralyſim, id eſt, membrorum diſſolutionem, non cõtractionem eorum induxerant, Illuſtribus verbis, & dignitatem Pontificiam teſtantibus, ita narratur:

*Illud autem quod in Maria de la Peñuela Petri Hernandez Complutenſis filia, Dei virtute per merita B. Didaci mirifice effectum eſt, notum & valde peruulgatum in Hiſpania, multiq. qui meminerint ſuperſunt. Inuaſerat virginem horribilis & deformiſſima paralyſis tanta neruorum diſſolutione & membrorum laxatione, brachijs, cruribuſq. diſtortis, totoq. corpore conuulſo, vt non iam mulier ſed monſtrum eſſet, & medici ſe nihil vnquam tale vidiſſe profiterentur: accedebant febres vehementes & capitis dolores peracres & aſſidui, quibus miſera grauiſſime affligtabatur. Ea igitur ad B. Didaci*

*daci corpus delata, cum in eius interceſſione & Dei miſericordia confideret, & ſuppliciter oraret, voti compos ab omni illa membrorum diſtorſione & deprauatione, omniq. corporis infirmitate eſt liberata: quæ tanti accepti beneficij non ingrata Deo virginitatem ſuam vouit, & ſacrarum virginum collegio adiuncta in Monaſterio ſancti Ioannis, quod a pænitentia nominatur, ſancte & religioſe vitam duxit.*

## *Donna Franciſca de Guſman multis ægritudinibus affecta liberatur. Cap. LXXIIII.*

EODEM anno MDLV. aliud ſignum in eodem S. Didaci ſacello ſatis clarum ac teſtatum emicuit. Donna Franciſca de Guzman Franciſci de Guzman & Agnetis Correæ Toletanorum ciuium filia, virgo generis nobilitate clara, annos nata viginti, cum paulo ante S. Dominici religionem profeſſa, Toleti in Monaſterio eiuſdem ordinis Monialis eſſet, aliquando grauiſſimo capitis dolore vexabatur; quo omni veluti ſenſuum officio deſtituta erat. Mox ingens paroxiſmus & cordis exacerbatio ſubſecuta ſunt; quibus manus, pedesq. vehementer quatiebantur. Sed cum integro octo horarum ſpatio miſere concuteretur, ac vi morbi acrius iactaretur; diuturna ſymptomata atq; affectiones, grauioresq. etiam ægritudines ſuperuenerunt. Nam vbi ceſſauit paroxiſmus, protinus vocem & oculorum lumen amiſit, & neruis toto corpore diſſolutis, paralytica euaſit; compreſſisq. mandibulis, vterq. ordo ſuperior & inferior dentium ita inuicẽ vi morbi compreſſus hæſit, vt nulla arte diſiungi potuerit. Ceſſarunt etiam illi penitus fieri menſtrua, & certis ſtatisq. temporibus idem paroxiſmus, qui morbus penitus cardiacus eſſe videbatur, virginem inuadebat. Huiuſmodi vero affectiones acerbæ diutius perdurarunt; hoc ſolo excepto, quod intermittente paroxiſmo, oculorum officio fungi poterat. Toletani interim medici plurima ordinaria & conſueta, ac nonnulla etiam exquiſita remedia, experiundi gratia, fruſtra adhi-

adhibuerunt. Nam cum morbi malignitate medicamentorum vires vincerentur,omnia inutilia penitus & inania reddebantur; maxime cum liquida tantum alimenta compreſſis mandibulis vrceoli ſeu ampullæ epiſtomio in os immittere oporteret,vt vitam tantis affectam malis trahere poſſet. Duobus itaq; menſibus his ægritudinibus oppreſſa, & humanis præſidijs deſtituta, diuinam Didaci opem implorat. Conſtans tunc temporis illuſtrium Didaci miraculorum fama ad huius virginis aures acceſſerat,qua incredibili plane illius ſacellum viſitandi deſiderio tenebatur. Auxit præterea deſiderium illuſtris quædam viſio,quæ maxime virginis animum impulerat. Nam cum ea aliquando Toleti in domo Ferdinandi de Guzman eius fratris,iam grauiter his iactata morbis maneret; in ipſo noctis ſilentio, & in ſomni quiete, ſplendentem & fulgentem S. Didacum, & habitu ſuo indutum videre, eiq. dicentem audire viſa eſt; vbi primum ſacellum ſuum viſitaret, ibiq.pias preces effunderet, ſanitati priſtinæ reſtituendam fore. Quamobrem nutibus & ſignis conabatur frequenter poſtulare, vt eam Complutum ad virum ſanctum colendum & deprecandum deducerent. Quod cum tandem impetraſſet, magna ſe animi lætitia elatam & conſolatione affectam oſtendit. Quadam igitur nocte, quæ tertium ab eius aduentu diem ſecuta eſt, ex conclaui quod ſibi in Conuentu Franciſcanorum ad habitandum fuerat conſtitutum,nutibus ad ſacellum Didaci ire ſe velle ſignificat; quam famulæ manibus acceptam, primũ corã Deiparæ ſacra imagine, quæ e regione ſacelli ſita eſt, conſtituunt; vbi ſolitos peracerboſq. dolores pertulit. Illa vero piam Dei matrem vt ſibi opem ferret ardenter precatur: ſed vbi aliquantulum exoraret, deinde ad Didaci ſacellum ſiſtitur; ibiq; magno mentis affectu, vt interceſſione Beati viri optatam ſibi ſalutem concedere dignetur, Deum exorat. Mox ad Sanctum conuerſa, vt pro ſe apud Deum intercedat, & ſibi ſanitatem impetret, ardentiſſima deuotione, multiſq. obortis lachrymis efflagitat. Quæ vbi peregit, ſolitus paroxiſmus eam inuaſit, quo duarum fere horarum

*In noctis ſilentio ſplẽdens apparet S. Didacus.*

rarum ſpatio correpta eſt. Sed eo ceſſante, in ipſo fere mediæ noctis tempore, magna de imo pectore, quæ toto ægritudinis curriculo emittere non potuerat, traxit ſuſpiria; & ſtatim quendam ad ſe, vt omnem depelleret morbum, accedere, videre ſibi viſa fuit. Mox vero oculos, quos vis paroxiſmi compreſſerat, aperuit; & lingua, mandibulis ſolutis, ac dentium ordinibus inuicem laxatis ac ſeiunctis, in has voces ſæpe repetitas erupit: IESVS, IESVS. Ergo cum iam locutionem ſe aſſecutam vidiſſet, Didaco immenſas gratias retulit, quibus peractis illico nerui & membra omnia, quæ morbo luxata erant, priſtino robore & viribus confirmātur, vt protinus ſuum officium exercerent. Deniq; ſacra virgo integram ſanitatem conſecuta, confeſtim proprijs pedibus nixa, ad eandem Deiparæ imaginem, quam paulo antea venerata fuerat, contendit. Deinde ad altare, in quo venerabile Euchariſtiæ Sacramentum ſeruabatur, actura gratias progreditur; poſtmodum ad Didaci ſacellum regreſſa, reliquum fere noctis vſq; ad auroram in diuinis laudibus perſoluendis traduxit. Itaq; cum peccata humiliter confiteretur, (quod nutibus & ſignis antequam Toleto diſcederet, fecerat:) Sacroſancta ſe Euchariſtia refecit. Quo plane tam claro & inſigni miraculo die ſequenti, cum primum innotuit, omnes in ingentem admirationem & ſtuporem traducti ſunt.

## *CAROLVS Hiſpaniarum Princeps a medicis derelictus S. Didaci interceſſione ſanatur. Cap. LXXV.*

FREQVENTIA hæc & illuſtria Didaci ſigna, ingenti illo & claro miraculo, quo eius meritis & intereeſsione CAROLVS Princeps Maieſtatis veſtrę primogenitus poſt omnium medicorum opinione deſperatam ſalutem pene à morte reuixit, egregie nobilitata ſunt. Quod plane quo tempore, aut quomodo geſtum fuerit, qua luce & ſplendore clarum & illuſtre fuerit, quot gentes in admirationem adduxerit, quot regna &

prouincias tanti ſigni fama compleuerit, Maieſtati veſtræ, qui præſens tunc omnia nouit, minime narrandum exiſtimo. Sed vt quanta ſit Didaci gloria, & quantum eius apud Deum valeat interceſſio & aſſidua precatio, omnibus innoteſcat, illud ad laudem omnipotentis Dei vniuerſo Chriſtiano orbi iure optimo Maieſtatis veſtræ probatiſſimo teſtimonio roboratum ac communitum, enarrandum puto.

Anno MDLXII. Adoleſcens CAROLVS, Compluti dum in Regia concitato ac celeri paſſu per ſcalas graderetur, luxatis pedibus, ſupinus prolabitur, & in parte occipitis ſiniſtra periculoſiſſimum vulnus accipit. Non patuit ab initio morbi malignitas, nec euidenti aliquo ſigno, quo tandem periculum progreſſurum eſſet, innotuit. Quamobrem medici in certam de Principis ſalute ſpem adducti, nullum tam pernicioſum ac deſperatum malum, quam quod poſtmodum ſuperuenit, animo conceperant. Nec immerito, cum in his ægritudinibus febres a principio non ſoleant eſſe ita ſuſpectæ æque ac cum ad ſeptimum, vel alios dies criticos peruentum fuerit. Medicos itaq; inani hac ſecuritate gaudentes, ſubſecutus euentus fefellit. Die enim vndecimo a prolapſione, exiguo ante auroram tempore, rigores quidam vehementes & ardentiſſima febris Principem decumbentem inuadunt. Mox inito conſilio, illuſtres medici & chirurgi, qui curandi Principis cauſa plurimi vndequaq; conuenerant, ac quotidie conueniebant, ſuperuenientis ſymptomatis cauſas inquirunt, vt aptum remedium opportune adhibere poſſent. Cranium igitur confractum eſſe ſuſpicantur, ideoq. de repente, ne curationem tarditas præpediret, atq; vt facilius morbi cauſas explicarent, & celerius medicinam facerent, nouacula, qua parte vulnus acceptum fuerat, caput aperiri decernunt. Aperto igitur loco, nihil illic apparuit eſſe confractum, colliſum, aut perforatum, nec præter maculam quandam fuluam, aliquod malignæ affectionis ſignum reperiunt, quo cerebrum prolapſione affectum iudicare poſſent. Soli itaq; vulneri curando perſi-

do perſiſtunt. Interim vero febris nunquam intermittens in dies augebatur, eamq. intra paucos dies grauiſſima quædam ſymptomata ſubſecuta ſunt, quæ non obſcure proximam mortem indicabant, cum ea veluti turmatim in Principem graui oppreſſum febri irruiſsent: Ciborum nempe omnium nauſea, adeo vt per tres dies nihil comederit: fugato ſomno vigilia: delirium :totius vultus ac capitis inflammatio; qua ita horribiliter facies intumuerat, vt nec oculi, nec nares, nec aures, diſtinćte conſpicerentur; ſed caro quædam informis & tumens vibex omnem hominis figuram ſuſtuliſſe videretur. Ad hæc nihil præter mera deliramenta per aliquot dies locutus fuit, nec quid diceret(ſolum enim intra ſe obmurmurans incondite loquebatur)nec vtrum dormiret, an vero vigilaret intelligi potuit. Stupefaćti medici,& diu multumq. animo agitantes, vnde tam maligna & lethifera ſymptomata prouenire poſsēt:re diu multumq. deliberata, in eam tandem vnanimes venere ſententiam, vt qua parte fuluam illam conſpexerant maculam, primam Cranij tabulam abraderent diligenter, & ſubtiliter; inſpećturi, num per commiſsuras, aut rimulas ex graui prolapſione fortaſſe contraćtas, aliquid in cerebrum penetraſſet. Raſa itaq; prima Cranij tabula, illud vndiq. albicans inuenerunt, tum ex eo viuus ſanguis manare cœpit. Exinde protinus nullum per eam partem in cerebrum malum influxiſſe collegerunt; ſed id ab interiori prorſus Cranij parte prouenire. Quamobrem omiſſa Cranij curatione, ſolam inflammationem & capitis horribilem tumorem opportunis medicamentis minuere ac depellere decreuerunt. Ergo cum in hoc tam miſerabili & deplorando ſtatu Princeps Carolvs verſaretur, nec illi vllum iam medicamenti genus proficeret, (adhibita autem fuerant tot ac talia, qualia vel haberi vel excogitari a tam multis & clariſſimis medicis & chirurgis, qui vndiq. innumeri conuenerant, potuerunt: & tantum Principem, & tantum ac tam potentem, pium, & filij amantiſſimum Regem patrem decebat, cui nihil tam magis ſibi erat cordi quam eius vitam

tueri, vnde tot tantorumq. Regnorum ſalus & incolumitas pendere credebatur.,) medici omni de vita Principis amiſſa ſpe, eum proculdubio ex ægritudine moriturum pronunciauerunt. Nec erat abſq; certa ratione prognoſticon; nam conſiſtentia ſymptomata, in primis vero delirium, male affectum cerebrum, & a ſanguine in ſaniem conuerſo, qui aliunde quam per locum affectum, iuxta medicorum placita in illud influxerat, iam magna ex parte putrefactum non obſcure demonſtrabat. Ad hæc, futuræ mortis ſigna tam euidentia & clara videbantur, vt certum & præfinitum tempus, quo princeps eſſet e vita deceſſurus, (mediæ videlicet noctis tempus diei xviii. vel xix. a vulnere accepto,) medici certo prænuntiare ac conſtituere non dubitauerint. Parabantur interim lugubres veſtes, panni ad ornatum funebres, luctuoſa omnia cernebantur, locus ſepulturæ deſtinabatur. Regia domus in luctum ac lachrymas ſoluta, miſerabilem ac lugubrem præbebat faciem. In primis vero ipſius Philippi Patris acerbiſſimus dolor omnium corda cruciabat, omnium ab oculis copioſas lachrymas eruebat: vniuerſa quoq; Hiſpania in luctu & mœrore poſita Principis caſum acerbum, & Regis mœſtiſſimi dolorem incredibilem lamentabatur. In magna hac rerum deſperatione & iactura cum omne iam humanum præſidium defeciſſet, ad opem S. Didaci implorandam itum eſt. Ergo recordati tunc Bernardus Fraſneda Conchenſis Antiſtes, & Magiſter Manzius ordinis Prædicatorum Principi a ſecretis conſcientiæ, & alij quidam viri graues, Principem CAROLVM maxime in Didacum affectum fuiſſe, illiuſq. ſacrum cadauer ſæpe pie veneratum; ad eum in extremis laborantem S. Didaci corpus deferre conſtituunt. Protinus itaque rumpuntur obices ferrei, laminæ & ingentia repagula diuelluntur, qui-
Lib. 1. c. 5 bus arca bene munita, vt diximus, vno fere integro ſæculo incluſum S. Didaci cadauer ſeruauerat; quod ita integrum inuentum eſt, ac ſi nuper illic repoſitum fuiſſet: Quod magnæ propterea admirationis cauſa fuit. Accurrit ſtatim ingens populi multitudo, vt S. Didaci corpus veneraretur, & in

& in Regiam acerbo oppletam luctu comitaretur. Solemni itaque pompa ex omnibus ordinibus collecta, in qua omnes religioſi cereos accenſos manu geſtabant; venerabile corpus feretro impoſitum, & humeris ſacrorum hominum aducctum, in Regiam deducitur, in cubiculum Principis intromittitur, ac ſuper illius lectum collocatur. Clara deinde & ſonora voce Princeps admonetur, vt ſe pie & ex animo B. Didaco commēdet, illumq. valetudinis ſuæ cauſa deprecetur, cum eius reliquiæ iam delatæ fuerint, & iuxta ſe in lectulo repoſitę. Ille vero ex lethifero excitatus ſomno, nutibus ſe contingere illas velle demonſtrat; & manibus tentās eas tenaciter complectitur, ac Dominicas aliaſq. preces recitare ſignificat; quamuis quid diſtincte proferret, vix aperte intelligeretur. Interim lintea, quibus ſacrū caput obuoluebatur, diſſoluuntur, & ſericus quidam pānus, qui primum molliter ſacro Didaci vultui fuerat admotus, ſimiliter turgēti Principis vultui leniter admouetur. Eo loci non ſolū ſacerdotes & religioſi viri, ſed etiam ſæculares magnates, qui in Principis cubiculo aderant, in primis vero Rex ipſe pater in genua prouoluti, multis lachrymis ſanctum virum ardenter precabantur, vt apud Deum pro ſalute Principis interceſſor & deprecator exiſteret. Quibus peractis, educto poſt quartam fere vnius horæ partem ſacro cadauere, & in ſuum ſacellum reducto, Principem ſuauis ac lenis ſomnus amplectitur, in quo per quietem S. Didacum Franciſcano indutū amictu ſtantem & crucem arundineam manu tenentem vidit: Qui eum vt bono animo eſſet, & in Deo ſpem collocaret, hortabatur: futurum enim eſſe, vt ex illa ægritudine cōualeſceret, ac integram ſanitatem reciperet. Ex eo ipſo momento ceſſauit delirium, & paucis horis elapſis, Princeps quaſi cum Sancto colloquens, excitatus ſomno, cibum aliaq. neceſſaria alimenta poſtulauit. Concurrunt illico medici, qui cum tumorem vultus depreſſum ac minutum, certaq. alia ſalutis ſigna comperiſſent; mœſtiſſimo Regi obitum filij expectanti, nuncium lætiſſimum celeri curſu cum his dictis tranſmittunt: FVISSE TANDEM CAROLVM

ROLVM PRINCIPEM REVOCATVM AD VITAM. Qui intra paucos dies integræ ſaluti reſtitutus, pium in primis Regem patrem, ac vniuerſam deinde Hiſpaniam acerbo luctu mœroreq. liberauit. Fit confeſtim omnibus notum ac teſtatum miraculum, quod cum omnes maxime ſuſpicerent, medici in primis admirabantur, qui Philippo Regi, Principem iam iam animam acturum prænunciauerant, & certum mortis tempus præfinierant; vt plane coacti fuerint confiteri, tam repentinam ſalutem diuinæ cæleſtiq. virtuti aſcribendam. Illud vero in primis in hoc rerum mirabili euentu compertiſſimũ ac teſtatiſſimum fuit, illo potiſſimum mediæ noctis tempore, quo vno conſenſu medici moriturum Principem aſſeruerant (vt notius & illuſtrius ad Didaci gloriam miraculum fieret,) ne dum melius habere cœpiſſe, ſed omni inſtantis mortis periculo liberatum. Quam vero Rex & Princeps debitam tunc Didaco habuerint gratiam, & quam amplam deinde gratitudinis vicem rependerint, ſequenti libro apertius explicabitur: vbi Maieſtatis Catholicæ ad Pium IIII. litteras, quibus luculento & firmiſſimo teſtimonio miraculum aſtruitur, referemus. Sixtus V. in diplomate Canonizationis inſertum miraculum his explicat verbis:

*Sed quod in Principe Carolo chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici primogenito filio diuinitus actum eſt, magnam apud omnes famæ celebritatem habet. Aegrotabat Compluti adoleſcens Princeps anno humanæ ſalutis* M D L X I I. *qui cum e ſcalis decidiſſet, grauiſſimum ex eo caſu & prolapſione in capite vulnus acceperat: omnia remedia, omnes curationes adhibitæ quæ humana induſtria præſtari poterant, vt in tanto Principe par erat: ſed cum nihil humanum proficeret, morbuſq. magis ſemper ingraueſceret, iamq. eius grauitati natura ſuccumberet: Medici Principis ſalute prorſus deſperata, certam imminentis mortis horam præfiniunt, idq. Regi patri ne tam acerbo ſpectaculo intereſſet, denunciant. Cum igitur omnis humani adiumenti ſpes defeciſſet, ad diuinum quod vnum reliquum erat præſidium confugiunt. Itaque deuotionis ardore ſuccenſi a Fratribus ſuis B. Didaci corpus*

*pus decenter & religioſe in Principis cubiculum afferri curant, poſt annos fere centum integrum & incorruptum. Quod cum Princeps Beati viri patrocinio ſe commendans deuote tetigiſſet, eo inde amoto vidit in ſomni quiete B. Didacum ante lectum ſtantem, & crucem arundineam manu gerentem, ſeq. admonentem bono animo vt eſſet, & in Deo confideret; fore enim vt ex ea ægrotatione ſanus fieret. Quare eo potiſſimum tempore, quo medici Principem moriturum prædixerant, non ſolum melius habere cœpit, ſed paulo poſt ex omni illo vitæ diſcrimine diuinis ac ſupra naturam adiumentis tam mirabiliter eſt ereptus, vt digitum Dei per merita beati Didaci ibi adfuiſſe omnes intelligerent. Sed præter ceteros Princeps ipſe & Philippus pater incredibili lætitia tamquam rediuiui filij affectus id agnoſcere, & Deum glorificando palam profiteri.*

## *De ſingulari beneficio quo B. Didacus Franciſcum Pegnam eius vitæ ſcriptorem affecit. Cap. LXXVI.*

QVI miraculo aliqua ægritudine liberabantur, olim libellos, quibus id populo ad gloriam Dei & ſuorum ſanctorum innoteſceret, dare ſolebant; vt S. Auguſtinus integer & incorruptus veritatis teſtis memoriæ prodidit. Qui Innocentiam religioſiſſimam feminam Carthaginenſem, quæ cum cancrum in mammilla haberet, & ab eo fuerat inſigni miraculo liberata, nec docuerat aut publicauerat, vehementer propterea ſtomachatus, admonendam ac pene obiurgandam putauit, effecitq. vt multis audientibus, multumq. admirantibus & glorificantibus Deum, totum ex ordine quemadmodum geſtum fuerat, indicaret. Ego ne in Sanctiſſimi viri reprehenſionem incurram, quid ipſe mihi beneficij contulerit, libello dato ingenue profitebor. Anno M D LXXI. relicta Hiſpania in Italiam, Ticinio (Pauiam vocant) vel Bononia Pontificio Cæſareoq. iuri daturus operam venire inſtitui. In littore Barchinonenſi Tri-

*S. Auguſt. lib. 22. c. 8. de ciuit. Dei.*

ſi Triremem ingredior, & quia valde tunc vrgebat æſtus, puppi relicta, quæ fumo ſæpe & remigum fœtore infeſtatur, ad proram ventis ſemper expoſitam, ibi accubiturus me confero; culcitra tantum ſupra quam quieſcam contentus, lodicem & cetera operimenta, quæ mihi æſtu vrgenti grauia videbantur, reijcio. Spirat tota nocte aura ſuauiſſima, quæ me magnopere recreare videbatur. Sed dum nimij caloris moleſtias fugio, in grauiores frigoris inijcior: nam mane expergefactus omnium membrorum ſtuporem ſentio, & tam graui vocis raucedine premor, vt vix loquens intelligerer. Surgo protinus, & quoniam claſſis non ſoluerat ea nocte, ac nec ſequenti mox die e littore ſolutura ſperabatur; in terram deſcendo, fomentis ſudorem prouoco, & breui tempore omnis membrorum ſtupor depellitur. In ima tamen parte armi dextri, qui ventis tota illa nocte fuit expoſitus, peracutus remanſit dolor, qui nullis tum fomentis expelli aut mitigari potuit. Intermiſſus tamen poſtea inducias mecum pepigiſſe viſus eſt: Quæ quotiens frigidus perflabat Boreas, aut humidæ noctis rores, vel ſimiles aeris intemperies me contingebant, protinus violabantur. Ac tunc quidem eundem peracutum dolorem illum cum perſentirem, mucrone mihi enſis, aut pugione pars illa armi perfodi videbatur. Interdum nedum quidem ea quam dixi armi pars, quæ ſpinam dorſi reſpicit, ſed colli ſiniſtra portio ſic afficiebatur & rigida ſiebat, vt caput libere vertere, niſi vna cum toto ſimul corpore non poſſem. Hunc dolorem certis ſtatiſq. temporibus quemadmodum explicui, ab anno M D LXXI. vſque ad integrum annum M D LXXXVII. pertuli, ac reliquo vitæ tempore perferendum decreueram; poſtquam adhibitis ſæpe opportunis medicamentis illum depellere non potueram. Ad finem vero prædicti anni M D LXXXVII. menſe Decembri Don Henricus de Guzman Comes de Oliuares Regius apud Sedem Apoſtolicam orator integerrimus ac vigilantiſſimus, cum pro abſoluenda S. Didaci Canonizatione, nomine Catholicæ

Maieſta-

Maieſtatis diligenter ageret, ac in Cardinalium Congregationibus nonnulla ad eam pertinentia eſſent feliciter conſtituta, multaq. alia maioris ponderis & momenti abſoluenda ſupereſſent; tunc Cardinalibus, quibus illa cauſa a ſua Sanctitate commiſſa fuerat, & Henrico oratori viſum eſt, vt mihi eo tempore Auditori Rotæ deſignato, aduocationis officium in negotio Canonizationis demandaretur. Perferuntur igitur ad me omnia proceſſuum acta menſe Decembri, Anno Milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, quo tempore cum multis diebus frigidus Aquilo efflauiſſet, inueteratum illum dolorem ſolito more excitauit, quem nullis potui fomentis mitigare ac lenire. Lego protinus auide acta proceſſuum, contemplor ſingula diligenter, auditam Didaci ſanctitatem exacte probatam video; frequentia item & ingentia ſigna ab eo edita me in admirationem impellunt: Qua de re virum ſanctum vehementius amare & venerari incipio. Duorum itaq; dierum ſpatio, maiorem actorum partem, & illam præſertim quæ miracula continebat, lego, relego, & memoria retineo. Deniq. ſancti viri opem, vt dolore liberer, implorare conſtituo. Ad multam noctem in fine menſis Decembris, poſtquam eius cauſæ ſedulam operam dediſſem, me in cubiculum abdo, vbi quanta poſſum animi contentione & pio mentis ardore, effuſis lachrymis ita ſum ſæpe ſanctum precatus:

*Didace beatiſſime, ſcio inurbanum & ab hominum conſuetudine alienum videri ante impenſa ſeruitutis officia præmium petere: ſed non ita ſancti ſicut homines affecti ſunt, nec eiſdem moribus perſimiles fiunt. Illi enim ſanctum & benignum ac diuitem in omnes Deum, cuius ſunt veri ciues, imitati, affectum potiſſimum voluntatis reſpiciunt, pioq. illius deſiderio inæſtimabilia præmia conferre ſolent. Hac itaq; fiducia, certaq. concepta ſpe, id a te petere audeo, quod multis alijs multo maiora petentibus liberaliter diuino munere contuliſti; nullum omittam in cauſa tua legitimæ defenſionis officium: Tu vir*

 *beatiſſime*

*beatiſſime apud Deum ſic meam cauſam age, vt te interceſſore & precatore optatam antiqui doloris liberationem, quo nunc affligor, conſequar.*

Hæc & alia eiuſmodi multa, vnius horæ aut amplius ſpatio proferre precando non deſtiti: Deinde accumbo, & ſuauiter dormio. Mane expergefactus libere & ſine vllo dolore locum affectum deprehendo: Præ gaudio geſtiens confeſtim ſurgo, & quantas poſſum ſimiliter Didaco gratias ago; cauſam eius alacriter ſicut cœperam ſuſcipio & proſequor, & gratia Omnipotentis Dei cooperante, & eiuſdem Sancti patrocinio (vt credere par eſt) fauente, ita ſunt omnia feliciter geſta, vt Canonizatio legitime perficeretur, quemadmodum ſequenti libro copioſe explicabitur. Ego vero ab eo tempore vſq; ad præſentem diem decimo nono menſis Septembris, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, quo hæc ſcribo, nullum amplius ſenſi dolorem, nec me ſenſurum ſpero: quod ſingulare beneficium meritis beati Didaci me aſſecutum fuiſſe ingrati animi eſſem, niſi libere & ingenue confiterer.

## *Philippus puer Romæ grauiter capite concuſſus, & ardenti febri correptus liberatur.* *Cap. LXXVII.*

LAVRI Dubliulij Catholicæ Maieſtatis in Romana curia Agentis filiolus decennis, nomine Philippus, menſe Martio, anno Milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, quo tempore diligentiſſime de perficienda beati Didaci Canonizatione agebatur, grauiſſime ægrotauit; cuius quidem ægritudinis cauſa ex grauiſſima prolapſione contigerat. Nam dum puerulus ex quodam ſcalarum loco, ad viginti palmorum altitudinem, alios quoſdam fraterculos ad ſcholam aduocaret, inopinato ſuper lateritium

tium pauimentum cecidit, & capitis partem dexteram anteriorem ſecundum frontem grauiter offendit. Mox vero continua febris, & grauiſſima quædam & periculoſiſſima ſymptomata ſubſequuntur; quæ vſq; ad xxxij. diem a vulnere accepto perdurarunt. Sed cum ingraueſceret morbus, & febris acrius intenderetur, repentinus tumor alteram faciei & gutturis partem inuaſit. Ergo cum valde viribus deſtitutus puer langueſceret, & vim morbi ferre non poſſet, ad xxxvj. diem a prolapſione in tam ingens vitæ periculum incidit, (cum nihil tandem medicamenta proficerent) vt iam extremus vitæ exitus, deſperata prorſus ſalute, ſingulis momentis immineret. Anxius tunc & amans pater, ad beati Didaci cuius cauſam agebat, opem implorandam concurrit; vouet vno anno puerulum geſtaturum veſtes eius coloris, cuius erat ſancti Didaci habitus; quod etiam puer libenti animo promiſit: Addit pater peracta Canonizatione in honorem beati Didaci ſe ſacellum extructurum. Emiſſo igitur voto antequam mediæ horæ tempus elaberetur, copioſus ſanguis ab ea parte narium, quæ ictu fuerat offenſa, fluere cœpit. Exinde dolore puer releuatus eſt. Iterum pater ac puer Didacum orare non ceſſant: ſed poſt aliquot deinde horas, circiter mediam noctem, de eodem loco vberior ſanguinis copia profluxit, cumq. illi preces iterum ingeminarent, ac repeterent, ad auroram maior & copioſior vis ſanguinis emanauit; vnde penitus febri ac dolore liberatus eſt. Pater igitur exultans animo, ob ſibi filium, quem iam pene amiſerat reſtitutum, nuncupata vota ſancto Didaco cum gratiarum actione reddidit.

Sanctiſſimo Domino SIXTO QVINTO, multiſq. Cardinalibus ſeries rei geſtæ enarrata, ſingulareq. meritis & interceſſione beati Didaci receptum beneficium, alijſq. pluribus innotuit.

Ex multorum miraculorum maximo numero, pau-

ca hæc commemoranda putaui, ſi enim omnia miracula ſanitatum, vel alia, quæ per hunc glorioſiſſimum Confeſſorem in oppido Complutenſi & plurimis alijs in vniuerſa Hiſpania facta ſunt, ſcribere vellem, plurimi libri conficiendi forent, nec tamen omnia deſcribi aut colligi poſſent.

# DE ACTIS CANONIZATIONIS SANCTI DIDACI

## LIBER TERTIVS

## PER FRANCISCVM PEGÑAM Sacri Palatij Apoſtolici Auditorem deſcriptus.

### *De ipſa Canonizationis notione.* Cap. I.

QVam Græci Apotheoſin, & Latini olim conſecrationem,ſeu deificationem aut in Deos relationem,& quos illi falſo θεοῦς vel δαίμονας hi diuos & indigetes, ideſt, Deos ex hominibus factos vocant; nos vere, vſitata in Eccleſia Catholica voce Canonizationem appellamus,& eos qui cæleſti militiæ ſolemni ritu aſcribuntur, Sanctos & Beatos dicere ſolemus. Illi nefarios ſæpe homines & multis ſceleribus flagitiisq. reſperſos, vaniſſimis ſuperſtitionibus in numerum ſuorum falſorum Deorum referebant, eis immeritos decernebāt honores, decretos ſtatis ſolemnitatibus exhibebant quæ quo ritu fierent copioſe oſtēdit Herodianus. *Lib. 3.* Romana vero Eccleſia cui Romanus præeſt Pontifex, legitimus & verus B.Petri ſucceſſor,cui merito Sanctorum Canonizatio tamquam vna de maioribus Eccleſię cauſis reſeruata eſt,non aliter alicui ſacros honores decernit, nec ante Sanctorum ciuium cæleſtium adſcribit catalogo, nec ſacra loca & templa conſtituit, quam legitime longa diſcuſſione præmiſſa,integrum illum moribus, & totius penitus ſceleris purum fuiſſe;incorruptamq. vitam in omni humilitate, pa-

tientia,caſtitate, perfecta mandatorum Dei obedientia, & reliquis neceſſariis virtutibus traduxiſſe conſtiterit. Vnde cum ad totius perfectionis regulam, omnis eius vita, vniuerſi mores,& actiones examinentur, iure optimo Canonizari Sancti,ideſt,ad regulam examinari, & per omnia probari dicuntur. Canonizati vero, hoc eſt, Sancti per omnia inuenti,merito cæleſti militiæ, & Sanctorum Catalogo adſcribi dicuntur. Quamobrem Canonizatio re vera eſt canonica quædam ſolemnis & publica per ſolum Romanum Pontificem conſtituta definitio, qua aliquis vere Sanctus, vniuerſali Eccleſię omniq. fidelium populo Sanctorum Catalogo aſcriptus colendus,certaq. diuini officij celebratione venerãdus proponitur,quæ aliis eiuſdem gradus Sanctis tamquam eximius honor impendi ſolet. Id quod Canoniſtæ conformi ſuffragio profitentur,nosq. in hoc libello cõpetenti loco breuiter indicabimus.

*Canonizatio quid.*

[ *Canoniſtæ in cap. 1. de reliq. & venerat. Sanctor. Iacobus Caſtellanus, & Troilus Maluetius in tract. de Canonizat. Sanct. & Caſſaneus in Catalogo gloriæ mundi, part. 3. conſiderat. 50.*]

## *De requiſitis ad Canonizationem celebrandam. Cap. I.I.*

QVONIAM vero permagni refert non tam ad morum inſtitutionem, quam etiam ad publicũ Dei cultum & honorem homines canonizare; propterea oportuit magna diligentia & ratione procedere, ſicut æquum eſt, in negotio arduo & grauiſſimo. Vnde Romana Eccleſia ceterarum toto orbe diffuſarũ caput & magiſtra, nullum vnquam hominem ſanctum eſſe definiuit,nec tamquam ſanctum cęleſtium cœtui adſcripſit; niſi ante ſolemnem & publicam hanc definitionem multæ primum quaſi gradatim conſtitutæ rationes ſuaderent,multa etiam opportune ſeruata, atque diſcuſſa rite,recteq. confecta,ad id quod ſummi negotij apex eſt, decernendum inducerent. Quot vero qualesve ſint in hoc tam graui opere

ſeruandæ rationes;vetuſtiores Canoniſtę,quos recentiores doctores vno conſenſu atque ordine amplectuntur,enumerant, quas non pigebit in hunc locum adducere, vt quam exacte & prudenter totum hoc negotium actum atque confectum fuerit, oſtendam.

I Graues primum viri & auctoritate præſtantes Romano Pontifici denuntiant merita virtutesq. illius quem percupiunt a Sede Apoſtolica canonizari, pro cuius Canonizatione humiles ſupplicesq. preces fundunt: nec id ſemel ac iterum, ſed ſæpe multumq. repetitis poſtulationibus exorant ac efflagitant. Nec ſtatim annuit Romanus Pontifex eorum precibus, qui tam graue arduumq. negotium expetunt, aut protinus inquiſitionem de vita, moribus, & miraculis illius qui Canonizari poſtulatur, fieri iubet; ſed cunctanter,grauiter,& quantum ſibi temporis opportunum viſum eſt; (quod plane in eius arbitrio conſtitutum eſt) diſtinet negotium, vt diu interpellatus, famam viri conſideret, miraculorum frequentiam & continuationem exploret, vt his diligenter perpenſis, tandem diligenter omnia inquirenda decernat.

II Rurſus,ſi preces ſupplicationesq. inſtanter apud eum fundantur,& miraculorum frequens continuatio perdurare videatur;tunc Pontifex Fratribus,ideſt,Cardinalibus in Cõſiſtorio ſecreto id proponere conſueuit, & aliquibus Epiſcopis patriæ vel regionis conuicinę illius qui dicitur Sanctus, vel aliis honeſtis, prudentibus & integris viris committere ſolet, vt de fama & populi deuotione, de miraculis & aliis quæ merito nuntianda videbuntur, in genere tantum, non ſpeciatim aut ſingulatim,nec quoad veritatem quidem,ſed quoad communem opinionem & famam diligenter inquirant;& quidquid ſuper eo negotio inuenerint,fideliter Pontifici reſcribant & denuntient,ſimulq. iudicium ſuum interponant,num ſuper veritate prædictorum in ſpecie ac indiuiduo committenda inquiſitio & indagatio videatur.

III Ad hæc,ſi Epiſcopi illi aut viri prudentes,quibus id negotium commiſſum fuerat, talia reſcripſerint ac denunciauerint,

rint, vnde iure optimo in ſpecie, veritatis inquiſitio committenda videatur, iterum Romanus Pontifex cauſa in ſecreto Conſiſtorio cum Fratribus communicata, rogatisq. ſententijs, vtrum inquiſitio hæc committenda ſit, nec ne, definit atq; decernit.

IIII Præterea, ſi decretum fuerit inquiſitionem eſse committendam, eiſdem iterum vel alijs Epiſcopis & bonis viris reſcribit, iubetq; vt veritatem inquirant. Primum de fama, deinde de vita, poſtremo de miraculis, idq. faciant exacte diligenter, fideliter, ac prudenter, iuxta formam præſcriptam articulorum & interrogatoriorum, quæ diplomate Pontificio incluſa his Commiſsarijs Iudicibus tranſmittuntur. Quidquid vero illi inuenerint, obſignatum, ſigillisq. ſuis munitum, incluſum & bene cuſtoditum ad Romanum remittunt Pontificem.

V Deinde inquiſitio illa in partibus facta, & ad Papam tranſmiſſa, in Curia Romana aliquibus Capellanis vel viris aliis auctoritate præſtantibus & prudentibus cõmittitur, eo quidem conſilio, vt eam mature conſiderent, diſponant rubricas, titulosve aut concluſiones inde forment, & iudicium ſuum incorrupte religioſeq. interponant.

VI Inſuper rubricas illas ſeu verius concluſiones ex proceſſu inquiſitionis collectas atq. formatas, exacta diligentia adhibita per ſe Romanus Pontifex, aut per Cardinales examinat, eorum ſententias rogat atque perpendit, nunquid talia exacte probata videantur, propter quæ Canonizatio merito celebranda ſit.

VII Poſtea vero his omnibus peractis ſi ſanctiſſimo Papæ celebranda Canonizatio videatur, id inter Cardinales in Cõſiſtorio ſecreto definit.

VII Ad hæc, conuocatis omnibus Epiſcopis in Romana curia præſentibus, narrat publice Papa in Conſiſtorio ea quæ in cauſa Canonizationis acta ſunt, & legitime probata: definitione vero ſuppreſſa, quæ iam in præcedenti Conſiſtorio facta eſt, præſentium Prælatorum conſilia requirit.

IX Mox ſtatuitur certus aliquis dies, quo omnes conueniãt,

certa

certa quoque Eccleſia deſignatur, vt in eam multis ornatam tapetibus & cereis accenſis fulgentem, Papa, Fratres eius, & vniuerſus clerus & populus conueniant. Vbi concionem habens Pontifex, proceſſum recitat & probationes cōmemorat, ſimulq. adſtantes ad Deum exorandum & deprecandum hortatur, vt ipſum in hoc tam graui negotio ſuo præſidio tueatur, ipſique cæleſtem diuinamq. virtutem aſpiret.

His rite & pie peractis omnes genibus prouoluti deuote orant, & cātatur hymnus, *Veni Creator Spiritus*: vel alius hymnus, ſiue Antiphona rei conueniens. X

Poſtquam hæc ſolemniter ſunt decantata, Pontifex ab oratione conſurgens, definit illum de quo agitur Sanctum fuiſſe, & Sanctorum Catalogo adſcribendum & tamquam Sanctum eſſe venerādum, & feſtum eius certo die colendū. XI

Poſtremo Canonizationis ſententia pronunciata, cantatur hymnus, *Te Deum laudamus*, & Pontifex celebrat Miſſam in honorem Sancti tunc Canonizati. XII

Hæc vt prędixi eodem modo & ſenſu, nec multum quidem diuerſis verbis, vetuſtiores Canoniſtæ commemorant. Adduntq. vſque ad ſua tempora hunc ordinem non ſemper ad vnguem ſeruatum fuiſſe; præſertim cum de Martyribus Canonizandis agebatur, quorum plane Canonizationi tot tantæq. ſolemnitates adhibitę non fuerunt, cum ea facilius tractari abſoluiq. conſueuerit.

[*Pręmiſſa hæc ad Canonizationem requiſita eodem ordine referunt Hoſtienſis. Ioannes And. & ceteri communiter Canoniſtę in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanctorum, Troilus Maluet. de Canonizatione Sanct. dub. 4. Caſſaneus in Catalogo gloria mundi par. 3. conſider. 50. Iacobus Caſtellanus de Fara tract. de Canonizat. Sanct. q. 8. & alij hos ſecuti.*]

Romani vero Pōtifices, qui poſt tempora Hoſtienſis Catholicæ Eccleſiæ præfuerunt, quemadmodum apparet ex Diariis ſacelli Pōtificij, & libris ſacrarum cæremoniarum, cum ab ordine, quem iſti Canoniſtæ retulerunt, in Canonizationibus quas celebrauerunt in aliquo deceſſiſſe videantur; ritum tamen & cæremonias in melius commutaſſe,

quam neglexiſſe aut violaſſe cernuntur. Nec aliter fieri opportebat,cum periculo nõ careat,in rebus præſertim magni momenti,& totius Eccleſiæ Catholicæ vſu receptis,ſine euidenti & neceſſaria cauſa a maiorum placitis recedere; Quod plane in his quæ proceſſus ſubſtantiam reſpiciunt, quales ſunt legitimæ probationes, & definitio ſiue ſententia Canonizationis,in qua totius huius cauſæ eſſentia conſiſtit,potiſſimum obſeruandum eſt, & inuiolabiliter retinendum,ne in poſterum vtrum legitima fuerit Canonizatio in dubium reuocetur.

Sed vt ad inſtitutum reuertar, in hac B. Didaci Canonizatione,omnia quæ ſupra commemoraui, exquiſite atque perfecte fuiſſe ſeruata, acta rerum geſtarum ab ipſis repetita initiis, vſque ad finem ſuo ordine, iuxta perſcriptum ritum breuiter enarrata,apertiſſime demonſtrabunt.

## *Sancti Didaci Canonizationem inſtanter & ſæpe a viris magnis poſtulatam fuiſſe. Cap. III.*

PRIMVM igitur Canonizationem S. Didaci per viros magnos inſtanter poſtulatam fuiſſe, re vera frequentes ad ſedem Apoſtolicam ſcriptæ multorũ litteræ teſtantur: Anno enim MDLXII. primarij viri ditionis Complutenſis frequentium & clarorum ſancti Didaci ſignorum magnitudine permoti, obnixe Canonizationem a ſede Apoſtolica petiuerunt.

Prætor, Rectores,viri nobiles ac præſtãtes,Officiales item Oppidi Complutenſis die XX. Menſis Maij.

Communitas pagorum,vicorum & locorum Oppidi Cõplutenſis die vltima menſis Maij.

Abbas & Capitulum Eccleſiæ collegiatæ ſanctorũ martyrum Iuſti & Paſtoris Oppidi Complutenſis die VI. menſis Iunij, & die XX. menſis Auguſti.

Adminiſtrator Archiepiſcopatus Toletani, in cuius ditione ſitum eſt Complutum,die XXVIII. Auguſti.

Miniſter Prouincialis Fratrum Minorum Regularis obſeruantiæ

ſeruantiæ prouinciæ Caſtellæ die X I I. menſis Iunij.

Rector item & facultas Theologiæ Academiæ Complutenſis Canonizationem S. Didaci humiliter efflagitarunt.

Qui omnes habitis ob eam cauſam frequentioribus conuentibus ad Pium I I I I. Pont. Max. Epiſtolas tranſmiſerunt, & S. Didaci Canonizationem humiliter poſtularunt. Omnium vero litterarum hæc fere vna erat ſententia. Didacum de S. Nicolao dum in humanis ageret, ſanctiſſimam vitam traduxiſſe, multis poſt obitum miraculis claruiſſe, frequenter ad eum venerandum, & eius opem implorandam fieri populorum concurſum: & propterea humiliter & demiſſe ipſos petere, vt ſua Beatitudo dignaretur decernere, vt ſuper ea re diligentius fieret inquiſitio, ac legitimæ probationes exciperentur; vt tandem per ſollemnem Canonizationē Sanctorum Catalogo, ſi ita ſua Beatitudo iudicaret, adſcribi poſſet.

Catholica præterea Maieſtas Regis PHILIPPI & Princeps CAROLVS eius filius primogenitus, qui anno proximo inſigni ac teſtatiſſimo miraculo ſanctitatem & merita B. Didaci probe cognouerant, ad Pium etiam I I I I. die 28. Februarij Anno M D L X I I I. piæ precationis litteras tranſmiſerunt, quibus exorabant, vt illum in Sanctorum numerum referret. Iniunxerunt quoque Don Ludouico de Requeſens Maiori Caſtellæ Commendatori, & apud ſedem Apoſtolicam Regio oratori, vt eorum nomine idem a ſua Beatitudine humiliter exigeret. Vt vero Lector exploratius Regis ac Principis Caroli animum agnoſcat, litterarum exemplum placuit ſubiicere.

## MVY SANTO PADRE.

AVNQVE Vueſtra Sãtidad deue tener bien entendido lo que paſſo en la graue enfermedad del Principe mi hijo, toda via he mandado al Comendador mayor de Caſtilla mi Emba-

xador, que refiera à Vueſtra Santidad lo que Dios obro por medio del Santo Fray Diego (cuyo cuerpo eſta ſepultado enel Monaſterio de S. Franciſco de Alcala de Henares) que fue tanto, que ſe puede bien affirmar, hauer ſido vn notorio milagro: pues eſtando ya el Principe en lo vltimo, y ſin ningun genero de remedio humano, fue nueſtro Señor ſeruido de le guardar (ſegun piadoſamente creemos) por los meritos y interceſſion de aquel Santo. Y por que en reconocimiento dello, y delas gratias que deuemos dar a Dios por tan ſingular beneficio, querriamos y deſeamos que para gloria ſuya el dicho S. Fray Diego fueſſe por Vueſtra Santidad Canonizado: auemos dado cargo al dicho Comendador mayor, que acerca dello hable a Vueſtra Santidad lo que del entendera: y que le preſente las cartas, teſtimonios y comprobationes, que Vueſtra Santidad vera delas iuſtas cauſas, que para ello concurren. Muy humilmente ſupplico a Vueſtra Santidad le mande dar grata audientia y creer le como ami miſmo enlo que acerca deſte particular le dixere: y conforme a quello tenga por bien Vueſtra Santidad de Canonizar al dicho S. Fray Diego, y que ſe comiençen luego a hazer las diligentias, que ala Canonization han de preceder: pues la vida que hizo mientras eſtuuo eneſte mundo, y los muchos y continuos milagros que ha hecho, y haze deſpues que murio, dan euidente prueua de ſu Santidad y de como eſta gozando de Dios: que de mas que ſera para ſeruicio y gloria

gloria ſuya, y gran confuſion para los herejes deſtos tiempos, yo y el Principe por eſte reſpecto, y por la gran deuotion que con tanta razon hauemos cobrado a eſte Santo, lo recibiremos en tan ſingular fauor y gratia, como la encarecera a Vueſtra Santidad el Comendador mayor de nueſtra parte por no canſar con mas larga carta a Vueſtra Beatitud cuya muy ſanta perſona nueſtro Señor guarde al bueno y proſpero regimiento de ſu vniuerſal Ygleſia.

De Madrid a xxviij. de Hebrero. MDLXIII.

De V. Beatitud.

Muy humilde y deuoto hijo Don Phelippe por la gratia de Dios Rey de Spaña, delas dos Sicilias, de Hieruſalem, que ſus ſanctos pies y manos beſa.

*El Rey.*

Hæ litteræ ad verbum Latine redditæ ita habent:

*Sancte admodum Pater.*

*QVAMQVAM Sanctitas vestra probe intellexerit id quod in graui ægritudine Principis filij mei geſtum fuit; nihilominus Commendatori maiori Castellæ oratori meo præcepi, vt Sanctitati vestræ referat quid Deus Sancto Fratre Didaco intercedente (cuius corpus in sancti Franciſci monasterio Compluten. ſepultum iacet,) fuerit operatus: quod plane fuit adeo inſigne & memorabile, vt recte quidem affirmari poſſit, euidens plane fuiſſe miraculum; poſtquam illum iam in extremo*

*tremo quidem periculo, ac ſine vlla humani præſidij ope conſtitutum, dignatus fuit Dominus noſter Deus incolumem ſeruare (quemadmodum pie credimus) propter merita & interceſſionem illius Sancti. Vt vero huius beneficij memores debitas gratiarum actiones ob tam ſingulare beneficium Deo perſoluamus: Percupimus maxime & expetimus, vt ad Dei gloriam & præfati ſancti Fratris Didaci is a Sanctitate veſtra, in Sanctorum numerum adſcriberetur. Qua de re prædicto Cõmendatori maiori dedimus in mandatis, vt Sanctitati veſtræ referat id, quod ab illo exponetur; & vna etiam litteras, teſtimonia & probationes iuſtarum cauſarum ad id concurrentium offerat, vt ea Sanctitas veſtra videre & explorare poſſit. Quamobrem humiliter Sanctitatem veſtram precor, vt eum benigne audire, illiq. perinde ac mihi, in his quæ huius rei gratia dixerit, fidem adhibere dignetur. Quibus intellectis dignetur quoq. Sanctitas veſtra præfatum ſanctum Fratrem Didacum Canonizare, & vt quæ Canonizationem antecedere debent, incohari poſſint; poſtquam vita probatiſſima, quam dum in hoc ſæculo fuit, traduxit, & multa & continua miracula quæ fecit & facit poſtquam obijt, Sanctitatis eius, & quod Deo perfruatur, euidentem exhibent probationem. Nam præterquam quod in gloriam Dei omnia hæc cedent, & in magnam confuſionem hæreticorum huius ætatis; mihi quoq. ac Principi ob hanc cauſam, & ob ingentem deuotionem, quam merito erga hunc Sanctum gerimus, erit tam gratum hoc ſingulare beneficiũ quam quod gratiſsimum, vt prædictus Commendator maior S. V. nomine noſtro expreſsis verbis exponet, ne eam prolixioribus litteris oneremus:*

*remus: cuius ſanctam admodum perſonam ad bonum & proſperum ſuæ vniuerſalis Eccleſiæ regimen Deus cōſeruet. Ex oppido de Madrid die 28. Februarij 1563.*

*Veſtræ Beatitudinis*

*Multum humilis & deuotus filius Don Philippus Dei gratia Rex Hiſpaniæ, vtriuſq. Siciliæ, & Hieruſalem, qui veſtros ſanctos pedes & manus oſculatur.*

*Rex.*

Litteras, quas de eadē re Carolus Princeps ad Piū IIII. tranſmiſit, ideo omittendas hoc loco putaui, quoniam eadē eſt earum cum ſuperioribus ſeries, eadem omnino ſentētia.

Sæpe alias etiam ſua Maieſtas per ſuos oratores in Vrbe exiſtentes pro eadem canonizatione magno & continuo deuotionis affectu, ad Pium IV. Pium V. Gregorium XIII. Sixtum V. humiles preces fudit: ob quam rem non confeſtim ſed matura & graui deliberatione res agi cœpit, vt quæ mox dicturi ſumus demonſtrabunt.

## *Pius Papa IV. poſt frequentes poſtulationes re cum Cardinalibus communicata, inquiſitionem in genere fieri deliberat. Cap. IV.*

FAMA igitur tantæ Sanctitatis & tam illuſtrium miraculorum iam diu per multos Hiſpaniæ populos peruagata ad Pij Pontificis aures acceſſit, quæ cum magis ac magis quotidie percrebeſceret, eodem Regio oratore nomine Regis Catholici ſæpe ſumma prece poſtulante ac deprecante, Pius Papa IV. re cum Cardinalibus in Conſiſtorio ſecreto communicata per ſuas litteras in forma Breuis datas die prima menſis Maij Anno MDLXIIII. Morono, Saraceno, Alexandrino (qui poſtea fuit Pius Papa V.) Aracæli, & Vitellio S.R.E. Cardinalibus

dinalibus ſuper vita, conuerſatione, miraculiſq. Beati fratris Didaci ſummariam informationem in genere tantum faciendam cum facultate ſubdelegandi commiſit. Illi vero eius reſcripti auctoritate ad inquiſitionem faciendam, ſummariamq. informationem in oppido Complutenſi, vbi ſancti Didaci quieſcebant reliquiæ, excipiendam, cum Vrbe abeſse non poſſent, Didacum Couarruuiam Segobieñ. Petrum dela Gaſca Seguntiñ. Bernardum de Freſneda Concheñ. Epiſcopos, viros litterarum cognitione inſignes, fidei integritate claros, & auctoritate præſtantes, cum clauſula vt per ſe vel alium ſeu alios commiſſum negotium expedirent, eodem Anno MDLXIIII. die quinta mẽſis Maij ſubſtituerunt & ſubdelegauerunt. Sed Cardinalium de hac re litterarum exẽplum, ex certis tabulis exceptum adſcribimus, vt facile quiſq. rem ipſam per ſe claram ac teſtatam agnoſcat.

Ioannes Epiſcopus Præneſtinus Moronus, Ioannes Michael tit. S. Anaſtaſiæ Saracenus, Michael tit. S. Sabinæ Alexandrinus, Clemens tit. S. Mariæ in Aracæli Presbyteri, & Vitellotius S. Mariæ in Porticu Diaconus Vitellius nuncupati, S. R. E. Cardinales ad infraſcripta per S. D. N. Papam & ſanctam Sedem Apoſtolicam ſpecialiter deputati, Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus Segobieñ. & Seguntiñ. ac Concheñ. Epiſcopis Salutem in Domino.

NOVERINT *Paternitates veſtræ præteritis diebus coram Sanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino noſtro, Domino Pio diuina prouidentia Papa Quarto, in ſuo Conſiſtorio ſecreto pro parte Sereniſſimorum Dominorum Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici & Caroli eiuſdem Illuſtriſſimi Principis, ac Reuerendiſſimorum, & venerabilium viro-*

*rum*

*rum Adminiſtratoris Archiepiſcopatus & Capituli Eccleſiæ Toletan. necnon quamplurium tam Eccleſiaſticarum quam etiam ſæcularium vniuerſitatum & aliorum Chriſtifidelium partium iſtarum expoſitum fuiſſe, quod dudum centum nempe fere ab hinc annis, in Conuentu S. Franciſci oppidi Compluten. ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum Toletan. diœceſis, quondam Iacobus alias Didacus de S. Nicolao profeſſus laicus dicti Conuentus ex eo Fratrum genere, quos laicos Conuerſos vocant, religioſam ibi ſanctamq. vitam egit, & in bona ſenectute plenus annis ibidem in Domino requieuit, vbi & corpus adhuc integrum viſitur, tanta vitæ innocentia & ſanctitatis opinione, vt tum in humanis agentis, tum etiam ad cæleſtem patriam euocati meritis & interceſſionibus (vt paſſim iſtic pie creditur) exoratus Altiſsimus plurima, præſertim apud eius ſepulchrum, inter fideles ſuos operari miracula dignatus ſit. Quorum beatitudinis ſignorum religione profuſa, populi multitudo gratum eius in cælis ſuffragium nuncupatis etiam votis quotidie ſupplex implorat, Dei benignitatem deuote collaudans, qui ad confirmandam Catholicæ fidei puritatem & obſtinatam hæreticorum prauitatem confutandam ſuum bonum & fidelem ſeruum Didacum, qui Sanctorum ſuorum Catalogo per Sedem Apoſtolicam merito aſcribatur, dignum effecerit. Quamobrem cum eidem Sanctiſs. Domino noſtro etiam vehementi crebroq. Illuſtris viri Domini Ludouici de Requeſens Maioris Præceptoris militiæ S. Iacobi de Spata Regni Caſtellæ Oratoris ipſius Domini Philippi Regis apud Sedem prædictam agentis efflagitatu inſtanter ſupplicatum fuiſſet, vt examen de eius vita meritis & miraculis (vt aſſolet) confici mandare, illumq. ſi dignum inueniret, Sanctorum Dei Catalogo aſcribere dignaretur, idem Sanctiſsimus Dominus noſter crebris & vehementibus huiuſmodi ſupplicationibus & efflagitationibus inclinatus: volens tamen more maiorũ in tam arduo negotio mature procedere, primo in eodem Conſiſtorio de Reuerendiſsimorum DD. noſtrorum aliorum S. R. E. Cardinalium conſilio viuæ vocis oraculo, & deinde per ſuas in forma Breuis litteras nobis integram huiuſmodi negotij cognitionem & examen Sanctitati ſuæ poſtmodum in ſimili Conſiſtorio referendum commiſit, ad hoc vt ex tali relatione noſtra inſtructus in hoc negotio prout ſecundum Deum faciendum eſſet poſtmodum decernere valeret,*

R

*ret. quarum litterarũ tenor eſt talis, videlicet; A tergo. Venerabili fratri Epiſcopo Præneſtin. Morono, & Dilectis filijs noſtris Ioanni Michaeli tit. S. Anaſtaſiæ Sarraceno, ac Michaeli tit. S. Sabinæ Alexandrin. necnon Clementi tit. S. Mariæ in Aracæli Presbyteris, & Vitellotio tituli S. Mariæ in Porticu Diacono Vitellio nuncupati S.R.E. Cardinalibus. Intus vero. Pius Papa Quartus. Venerabilis frater, & Dilecti filij noſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Antiquis ſacroſanctæ matris noſtræ Eccleſiæ Ieſu Chriſti Domini & Saluatoris noſtri ſponſæ inſtitutis edocemur, vt fidelium animas Beatitudinis æternæ lætitia perfruentes debita reuerentia proſequamur, quas tunc demum Creatori ſuo acceptas, ciuiumq; cæleſtium conſortio feliciter aggregatas eſſe cenſemus, dum omnipotens Deus meritis illorum intercedentibus fidelibus ſuis in extrema neceſſitate conſtitutis eorum ſuffragia deuote implorantibus miraculoſe dignatur ſubuenire. Sane dilectus filius nobilis vir Ludouicus de Requeſens maior Præceptor militiæ S. Iacobi de Spata, Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici apud nos & Apoſtolicam ſedem Orator, nobis in Conſiſtorio noſtro ſecreto pro parte Philippi Regis prædicti & Dilectiſſimi etiam filij noſtri Caroli Principis Hiſpaniarum Illuſtris, ac Dilectorum filiorum Adminiſtratoris Archiepiſcopatus, necnon Capituli Eccleſiæ Toletan. & quamplurium tam Eccleſiaſticarum, quam etiam ſæcularium Vniuerſitatum, & aliorum Chriſtifidelium illarum partium nuper expoſuit, quod dudum, nempe centum ab hinc annis in Conuentu ſancti Fracisci oppidi Compluten. ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum Toletan. diœceſis, bo. mem. Iacobus alias Didacus de S. Nicolao Frater laicus dicti Conuentus, ex eo Fratrum genere quos Conuerſos vocant, religioſam, ſanctamq; vitam egit, & ibi tandem annorum plenus in Domino requieuit, vbi etiam illius corpus adhuc integrum viſitur; tanta vitæ innocentia & ſanctitatis opinione, vt multis eius tum in humanis agentis, tum ad ſuperos euocati meritis & interceſſionibus ſicut illuc pie creditur exoratus, Altiſſimus plurima, præſertim apud eius ſepulchrum, inter fideles ſuos humana prorſus ope deſtitutos, huius aduocati ſubſidium humiliter inuocantes operari miracula dignatus ſit: quibus beatitudinis illius ſignis religione ducta, vicinorum populorum multitudo ſaluberrimum*

berrimum

*berrimum eius in cælis ſuffragium, nuncupatis etiam votis ſupplex implorat, ac propterea Didacus ipſe non indignus appareat, qui Sanctorum Dei catalogo per dictam Sedem adſcribatur, prout in ipſorum Philippi Regis & Caroli Principis, alij́sq. diuerſis litteris, ac publicis atteſtationum inſtrumentis ad nos miſsis plenius continetur. Vnde præfatus Ludouicus Orator, Philippi Regis Caroli Principis & aliorum præmiſſorum nominibus nobis humiliter & inſtantiſsime ſupplicauit, quatenus examen de eius vita & miraculis (vt aſſolet) fieri mandare, illumq. ſi dignus inueniatur, prædicto catalogo conſcribere, ac alias in præmiſsis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ad Nuncium tam iucundum immenſam Domini noſtri ſponſam ſuam noua ſubinde prole, ad puritatem Catholicæ fidei confirmandam, obſtinatamq. hæreticorum prauitatem conuincendam, noſtris præſertim temporibus fœcundantis, ſacroſq. Religionis ſuæ palmites vbiq. dilatantis, amorem ſimul & bonitatem tota ſupplicis animi pronitate adorantes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni veſtræ ſingularem, quorum Religionis zelum graueq. iudicium & præcipuam prudentiam in maximis noſtris & Eccleſiæ negotijs non ſemel experti ſumus, vniuerſum ſuper præmiſsis examen per vos vel alium ſeu alios faciendum, ac plenam omnimodam & totalem huius negotij cognitionem, de eorundem fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica committimus, vobis nihilominus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus in primis per vos vel alios in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos morum integritate, ſacrarumq. litterarum doctrina comprobatos viros, quos ad id deputandos eſſe duxeritis, ſummariam ſuper vita & conuerſatione ipſius Didaci, dictisq. miraculis informationem in genere, prout in ſimilibus fieri ſolet, conficere: & quæ circa hæc reperietis, nobis in ſecreto noſtro Conſiſtorio fideliter referre curetis, vt poſtmodum cum noſtro aliorumq. fratrum noſtrorum conſilio, ad Diuini nominis laudem ea efficere valeamus, quæ Sanctorum patrum dogmata, ſacrorumq. Canonum inſtitutiones, ac charitas poſtulat Chriſtiana. Super quibus vobis plenam & omnimodam eadem auctoritate præſentium tenore concedimus facultatem: quod ſi veſtrum quiſpiam præmiſſorum executioni commode nequeat intereſſe, reliqui nihilominus illa vt præfertur exequantur.*

*Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die prima Maij MDLXIV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.*

*Subſcriptum Cæſ. Glorierius.*

*Nos igitur Sanctitatis ſuæ & Sedis Apoſtolicæ in hac parte Commiſſarij ſic vt præmittitur ſpecialiter deputati, qui vt obedientiæ filios decuit hanc nobis factam commiſſionem reuerenter recepimus, quia partim ob viarum longitudinem partim ob alia ardua quibus hic detinemur negotia, munus hoc nobis iniunctum perſonaliter exequi non facile poſſemus, de fidei ſinceritate, Religionis integritate & famæ veſtræ candore, ſolicitaq. pariter & debita erga hanc Sedem obedientia plurimum in Domino confidentes, auctoritate Apoſtolica qua fungimur in hac parte, Paternitatibus veſtris per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel duo ex vobis per ſe ipſos vice noſtra ſuper vitæ conuerſatione, fama & meritis ipſius Didaci, miraculisq. prædictis, & populi erga illum deuotione in genere fideliter vt res expoſtulat inquiratis, & ſummariam ex perſonis tamen fide dignis & alijs probationibus idoneis informationem recipiatis, ac in ſcriptis redactam clauſam, veſtriſq. ſigillis munitam per fidelem Nuntium quantocitius ad nos tranſmittere curetis, vt demum informationem huiuſmodi quaſi diligentiæ & deuotionis veſtræ ſymbolo, Sanctitati ſuæ per nos oblata, ſuam & dictæ ſedis benedictionem ac æternæ retributionis præmium exinde conſequi valeatis. In quorum omnium fidem & teſtimonium præſentes manibus noſtris & Secretarij ac Notarij infraſcripti ſubſcriptas expediri, & ſigilli prædicti Ioannis Epiſcopi Præneſtin. antiquioris Cardinalis iuſsimus & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, die vero quinta Maij Pontificatus prælibati Sanctiſsimi Domini noſtri Papæ, Anno Quinto.*

*Ioannes Cardinalis Moronus Epiſcopus Præneſtin.*

*Io. Michael Cardinalis Saracenus.*

*F. M. G. Cardinalis Alexandrinus.*

*Clemens Cardinalis Aracæli.*

*Vitellotius Cardinalis Vitellius.*

*Angelus Meliolus Cler. Bonon. Illuſt. & Reuer. Domini mei Ioannis Card. Moroni, &c. Secret. & Notar. Apoſtolicus De mandato.*

Huius

Huius auctoritate cõmiſſionis,quæ Bernardo de Freſneda Concheñ.& Didaco de Couarruuias Segobieñ. Epiſcopis in oppido de Madrid die xvj. menſis Decembris, Anni MDLXIIII. fuit legitime denuntiata: ijdem Epiſcopi eo munere libenter & reuerenter ſuſcepto Complutum accedunt die xij. Ianuarij anni 1565. Notarijs teſtibusq. vocatis in Monaſterio S.Franciſci de Obſeruãtia dicti oppidi,arcam ſacras reliquias continentem, aperiri iuſſerunt, corpus inſpexerunt,diligenter omnia explorarunt. Deinde conſequenter iuxta formam in reſcripto Apoſtolico præſcriptam ſuper vita,moribus & miraculis S.Didaci,multos teſtes valde idoneos & omni exceptione maiores diligenti examine exceperunt, ceterosq. actus legitimos huc ſpectantes perfecerunt.

Denique die xxiij.Ianuarij eiuſdem anni MDLXV. cum certum & exploratum haberent,omnes ciues & habitatores eiuſdem oppidi ac territorij Complutenſis circa vitam immaculatam,incorruptos mores, illuſtriaq. miracula S. Didaci in eadẽ fide,opinione & credulitate eſſe,cum illis quos examinauerant, Inito ſuper ea re ſæpe conſilio cum viris grauibus, probis & prudentibus,inquiſitionem ſeu ſummariam illam informationem claudi terminarive, ac ita clauſam & ſigillis bene munitam ac obſignatam ad præfatos dominos Cardinales delegãtes tranſmittendã decreuerũt.

## *De tranſmiſsione ſummariæ informationis ad Romanam Curiam. Cap. V.*

Eodem anno MDLXV. Pio Quarto Pontifice adhuc inhumanis agente, ijdem illi Epiſcopi Commiſſarij proceſſum ſuper ſummaria informatione fideliter & diligenter confectum clauſum & ſigillis optime munitum & obſignatum ad eoſdem Cardinales Moronum,Saracenum,Alexandrinum,Aracæli & Vitelliũ tranſmiſerunt.Michael vero Cardinalis Alexandrinus eodem anno Pontifex renũciatus,nec cœptum Canonizationis ne-

nis negotium intermittens(ſemper enim Orator Catholicæ Maieſtatis in Romana Curia nomine Regis & Principis pro eadem Canonizatione aſſidue intercedebat) Ioannem Baptiſtam Cardinalē S. Clementis ad agendū & exequendum cum reliquis Cardinalibus delegatis omnia quæ in reſcripto Pij IIII. continebantur, in ſuum locū ſubſtituit.

*Pius Papa V. audita ſummaria informatione ad vlteriora procedendum decreuit. Cap. VI.*

CARDINALES prædicti viſis prius diligenter omnibus teſtibus & ſcripturis in proceſſu ſummariæ informationis contentis, in Conſiſtorio ſecreto omnium in proceſſu contentorum relationem Pio V. Pontifici fideliter fecerunt; cum ea omnia quæ in ſummaria informatione continebantur talia eſſent inuenta, vt ad vlteriores Canonizationis actus progrediendum facile ſuaderent. Pius Papa V. eodem anno MDLXVI. eiſdem Catholico Rege & Principe CAROLO ſupplicantibus, prædictis Cardinalibus commiſit, vt ad executionem reliquorum quorumcumq. in præmiſſis neceſſariorum cum deputatione prædictorum Epiſcoporum vel aliorum Iudicum procederent, litteras Compulſoriales pro extrahendis quibuſuis ſcripturis, necnon Remiſſoriales pro teſtibus legitime & ſpecialiter examinandis iuxta articulos & interrogatoria in patentibus Cardinalium prædictorum litteris includenda decernerent, ceteraq. peragerent, quæ ad rectam cauſæ totius rationem neceſſaria aut opportuna fore viderentur.

*Compulſoriales & remiſſoriales litteræ quæ dicantur.*

Compulſoriales litteræ appellantur illæ, quibus certis Iudicibus fit facultas quoſlibet compellendi, vt quaſcunque ſcripturas & inſtrumenta ad cauſam de qua agitur pertinentia exhibeant, & producant.

Remiſſoriales dicũtur per quas ſimiliter fit poteſtas euocandi recipiendiq. teſtes, aliaſq. probationis ſpecies, quibus cauſa inſtrui, & negotij veritas intelligi poſſit.

De

## *De Compulſoria & Remiſſoria in cauſa Canonizationis S. Didaci conceſsis, & in Hiſpaniam tranſmiſſis, & quid illarum robore fuerit factum.*

## *Cap. VII.*

CARDINALES prædicti ex facultate ipſis a Pio V. conceſſa ad vlteriores actus Canonizationis ſancti Didaci ſicut decretum fuerat gradatim progredientes, citato Cameræ Apoſtolicæ Procuratore fiſcali, Remiſſoriam in Hiſpaniam tranſmittendam die xxx. Octobris Anni MDLXVI. legitime decreuerunt, in qua ad executionem eorum quæ neceſſaria videbantur, eoſdem Didacum Couarruuiam Segobieñ. Petrum de la Gaſca Seguntiñ. & Bernardum de Freſneda Concheñ. Epiſcopos, Iudices, Commiſſarios ſubdelegantes & ſubſtituentes, formulam quam in executione eiuſdem Remiſſoriæ ſeruare deberent ſimul præſcripſerunt, vt in exemplo litterarum, quas Cardinales tranſmiſerunt perſpici poteſt, quæ ſic habent:

*Nos Ioannes Epiſcopus, Ioannes Baptiſta, Clemens, & Vitellotius Cardinales prædicti, vobis Reuer. Patribus Segobien. & Seguntin. ac Conchen. Epiſcopis prædictis, de fidei ſinceritate, religionis integritate & famæ veſtræ candore, ſoliciteq. pariter & debite erga hanc ſedem obedientia plurimum in Domino confidentes, auctoritate Apoſtolica qua fungimur in hac parte per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos, vel duo ex vobis per vos ipſos vice noſtra, omnes & ſingulos teſtes, litteras, ſcripturas, Inſtrumenta, & monumenta, & alia quæuis probationum genera, quæ coram vobis præſentari & produci contigerit, de & ſuper interrogatorijs ac poſitionibus & articulis, quæ & quos noſtris ſub ſigillis incluſa & incluſos vobis tranſmittimus in dicto oppido Compluten. & in loco per vos in eodem oppido deputando pro tribunali ſedentes admittatis, & ab illis Iuramentum de veritate dicenda ſuper his ſuper quibus examinabuntur, in manibus veſtris recipiatis, teſteſq. ipſos ſuper eiſdem*

*dem Interrogatorijs & articulis per vos ipſos coram fideli notario per vos deputando diligenter examinetis, ipſorumq. teſtium atteſtationes & dicta, necnon litteras, ſcripturas, Inſtrumenta, iura, monumenta coram vobis exhibita fideliter tranſcribi faciatis, nobisq. clauſa, veſtrisq. ſigillis munita per fidelem nuncium quantocitius ad nos tranſmittere curetis, ac demum depoſitionibus teſtium ac litteris, ſcripturis, inſtrumentis, Iuribus, & monumentis huiuſmodi quaſi diligentiæ & deuotionis veſtræ ſymbolo Sanctitati ſuæ per nos oblatis ſuam & dictæ Sedis benedictionē ac æternæ retributionis præmium exinde conſequi valeatis. In quorum omnium fidem & teſtimonium præſentes manibus noſtris & Secretarij ac Notarij infraſcripti ſubſcriptas expediri, & ſigilli prædicti Ioannis Epiſcopi Portuen. antiquioris Cardinalis iuſſimus & fecimus appenſione communiri.*

*Datum Romæ apud Sanctum Petrum in Palatio Apoſtolico in quo pro negotio huiuſmodi expediendo congregati fuimus, Anno Domini M D LXV I. die vero Mercurij xxx. menſis Octobris, Pontificatus prælibati S. D. N. Pij Papæ Quinti, Anno Primo.*

Mittebantur ſimul in Remiſſoria ( Rotulum Remiſſoriæ Curia Romana vocat) articuli & interrogatoria, quæ Procurator Fiſcalis de more dederat in hac cauſa, vt iudicium omnibus ſuis partibus conſtans, integrum, ac legitimum foret.

In his ſeparatis & diſtinctis velut capitibus, quid quiſq. teſtis rogari, aut de quibus examinari deberet, diligenter deſcriptum cum omnibus neceſſarijs circunſtantiis, quemadmodum Canoniſtæ in quarto Canonizationis requiſito debere fieri admonent, continebatur. Illa nos hic conſulto breuitatis gratia omittenda putauimus.

Remiſſoria hæc per Ambroſium de Morales Catholicæ Maieſtatis & Caroli Principis Procuratorem ad hoc ſpecialiter cōſtitum præfatis Epiſcopis Segobieñ. Seguntiñ. & Concheñ. Iudicibus in hac cauſa ſubdelegatis denuntiata ſeu pręſentata fuit Compluti die xj. menſis Feb. Ann. 1567.

Ea vero legitime præſentata, citatoq. perſonaliter Doctore Petro Martinez a Cameræ Apoſtolicæ Procuratore

Fiſcali

Fiſcali ſubſtituto. Idem Ambroſius Remiſſoriam aperiri, locum loci deputari, Notarium & Curſorem ſeu Nuntium cōſtitui ad legitimam eius executionem obtinuit: inde nominati & præſentati teſtes, ijdemq. ad teſtimonium dicendum legitime citati, comparentes in manibus præfatorum Epiſcoporum iudicum ſubdelegatorum iurauerūt, per eoſdem Iudices Commiſſarios examinati fuerunt, vt in eiſdem cauſæ proceſſibus legitime confectis euidenter apparet.

Eodem anno MDLXVII. die xvij. Februarij in oppido Complutenſi prædicti Epiſcopi cœperunt examinare teſtes a Procuratore Regis & Principis pręſentatos, in quibus examinādis interdum omnes Epiſcopi, maiori autem parte duo tantum ex ipſis, multis menſibus perſtiterunt.

Cum vero lxxxiij. teſtium examen eodem anno die xvij. menſis Maij, ceterosq. iudiciales & neceſſarios actus in hac cauſa Canonizationis abſoluiſſent coram prædictis Petro Martinez & Ambroſio de Morales procuratoribus conſentientibus, minimeq. cōtradicentibus, ijdem Epiſcopi totum proceſſum tam Remiſſoriæ quam litterarum Compulſorialium claudi, eorumq. ſigillis obſignari, tabellionisq. legitimi ſubſcriptione communiri iuſſerunt, eodemq. Petro Martinez Cameræ Apoſtolicæ Procuratore Fiſcali ſubſtituto citato, proceſſus clauſus & ſigillis bene munitus Ambroſio de Morales Regis & Principis Procuratori traditus & conſignatus fuit, vt ad prædictos Cardinales delegantes tuto Romam tranſmitteretur.

Non multo poſt clauſum & ſigillatum proceſsum ad Romanam Curiam tranſmiſſum eodem anno 1567. die 12. menſis Auguſti Franciſcus Reboſterius Regius in Curia Procurator, Fiſcali Procuratore citato, ſi quid opponere vellet, aperiri, interpreti qui in linguam Latinam cōuertat conſignari, & recognoſci iuxta ſtylum & conſuetudinem Curiæ legitime obtinuit.

Interim Pius V. ab humanis eripitur, nec propterea ad illa quæ agenda ſupererant factus eſt progreſſus. *Pij V. Pōtif. Max. obitus.*

Eo mortuo fel. re. Greg. xiij. anno 1572. Pont. renuntiatus

S Romanæ

Romanæ Eccleſiæ præficitur, nec ceſſant interim Don Ioannes de Azuniga, & Don Henricus de Guzman Comes de Oliuares integerrimi Catholicæ Maieſtatis apud Sedem Apoſtolicam Oratores nomine Regis pro Didaci Canonizatione pium & tam multis iam annis perſeuerans Catholici Regis deſiderium commemorantes, intercedere, illamq. multis fuſis precibus poſtulare: ſed mole negotiorum ſemper occurrentium, & alia negotia ſæpe præpedientium obiecta tempore Pontificatus Gregorij nõ eſt vlterius in Canonizatione progreſsum, donec ad Sixtum V. Pontificem Romanum Anno 1585. feliciter ventum eſt.

*Sixtus V. Pont. cauſam Canonizationis S. Didaci diu intermiſſam tractari denuo iubet, Proceſſum de more aliquot Rotæ Auditoribus iudicandum tradi imperat. Cap. VIII.*

NEc temporis diuturnitas, nec ſæpe dilatæ cauſæ difficultates, pietatis zelum & incenſum deuotionis ardorem in Catholicæ Maieſtatis pectore extinguere potuerunt. Quamobrẽ Gregorio Pont. e vita ſublato, & in eius locum Sixto V. omnium Cardinalium ſuffragijs, menſe Aprilis, Anno 1585. feliciter aſſumpto, confeſtim Regis Catholici nomine Don Henricus de Guzman eius apud Sedem Apoſtolicam integerrimus & fideliſſimus Orator, de Canonizatione S. Didaci iterum inchoanda, aut verius loquendo, vlterius prouehenda cũ Pontifice agit. Dolet Sanctiſſimus vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor tamdiu interruptum pendere egregium & laudabile pietatis opus. Regis itaq; laudata conſtantia, & pio commendato propoſito ad reliqua peragenda viam aperit.

Paulo antea ex ſententia Canoniſtarum dixeramus proceſſum Canonizationis ad præſcriptum præfatarum ſolemnitatum legitime confectum, & ad Curiam Romanam deſtinatum

ſtinatum aliquibus Capellanis vel viris alijs auctoritate & doctrina pręſtantibus, Pontifice ita iubente, eſſe committendum, qui de illo iudicent, & quid ipſis videatur, Pontifici referant.

Iſtorum Capellanorum nomine Rotæ Auditores intellectos fuiſſe cõſtat, quibus iure optimo magni momenti cauſæ & iudicia creduntur, cum non niſi valde probati & iuris vtriusq. peritia inſignes & rerum gerendarum peritiſſimi in id collegium cooptentur. Sixtus ratus tam pium negotium minime amplius differendum, Catholico Rege ſupplicãte, Ioanni Baptiſtæ de Rubeis Decano, Chriſtophoro Reboſterio, & Gaſpari Vicecomiti Rotæ Auditoribus, eundem proceſſum examinandum tradi, & quid ipſis iudicãdum videatur illos referre iubet. Interim Vicecomes Auditor Mediolanenſis Archiepiſcopus renuntiatus, a Curia recedit, & quia ſi alius Auditor in eius locum quoad hãc cauſam ſubſtitueretur, facile negotium in immẽſum trahi poſſet, denuo a ſua Sanctitate petitum & impetratum eſt, vt vitãdæ longioris moræ gratia duo illi ſolũ reliqui Auditores ad vlteriora procederent, & referrent. Earum ſupplicationum formulę & Pontificiarum commiſſionum decreta hæc ſunt. *Auditores Rotæ.*

## TOLETAN.

BEATISSIME *Pater. Alias fel. recor. Pio Papæ IV. S. V. prædeceſſori, pro parte deuotiſsimi veſtri & Apoſtolicæ Sedis filij Hiſpaniarum Regis Catholici, ac cla. mem. Caroli Principis eius nati, & tunc Adminiſtratoris Archiepiſcopatus, necnon Capituli Eccleſiæ Toletan. & quamplurium tam Eccleſiaſticarum quam etiam ſæcularium vniuerſitatum, & aliorum Chriſtifidelium illarum partium expoſito, quod poſtquam alias ante centum videlicet annos in domo S. Franciſci oppidi Compluten. Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum Toletanæ diœceſis, bo. me. Didacus de S. Nicolao Frater Conuerſus dicti ordinis religioſam vitam egerat, & ibi plenus dierum in Domino requieuerat, eius corpus integrum conſpiciebatur, & tantæ vitæ innocentia & ſanctitatis o-*

 *pinione*

*pinione, vt multis eius tam viuentis quam mortui mundo meritis & interceſſionibus pijs fidelium precibus ſicut illuc pie credebatur exoratus Altiſſimus plurima apud eius ſepulchrum miracula operari dignabatur, quibus beatitudinis illius ſignis religione ducta vicinorum populorum multitudo ſaluberrimum eius ſuffragium votis ſupplex implorabat, ac propterea non indignus apparebat, qui Sanctorum Dei catalogo aſcriberetur, idem prædeceſſor bo.me. Morono tunc Epiſcopo Præneſtino, & Ioanni Michaeli tit. S. Anaſtaſiæ Saraceno, ac Michaeli ſanctæ Sabinæ Alexandrino, necnon Clementi tituli S. Mariæ in Aracœli Presbyteris, ac Vitellotio S. Mariæ in Porticu Diacono Vitellio S. R. E. Cardinalibus vniuerſum ſuper præmiſſis examen per eos vel alium, ſeu alios ab eis deputandos facien. ac plenam, omnimodam & totalem eius negotij cognitionem de fratrum conſilio, ita quòd habita ſummaria ſuper vita & conuerſatione ipſius Didaci dictiſq. miraculis informatione, quæ circa ea reperiſſent ipſi prædeceſſori in Conſiſtorio ſuo ſecreto fideliter referre curarent; per ſuas in forma Breuis litteras commiſit, atq; mandauit, dictiq. Cardinales ad commiſſionis & mandati huiuſmodi executionem procedentes, Segobien. Seguntin. & Conchen. tunc Epiſcopos ad ſummariam ſuper vita & conuerſatione ipſius Didaci, prædictiſq. miraculis informationem in genere faciendam ſubdelegarunt, ipſiq. Epiſcopi ſubdelegati in negotio ſiue articulo eis delegato legitime procedentes, proceſſum ab eis confectum ad Cardinales delegantes prædictos tranſmiſerunt, prædictoq. Pio IV. interim ſicut Domino placuit de medio ſublato, & pie mem. Pio Papa V. ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpto ijdem Cardinales ſummariæ informationis per dictos Epiſcopos factæ & ad eos tranſmiſſæ, relationem prædicto Pio V. fecerunt: qui Cardinalium prædictorum relatione intellecta eiſdem Cardinalibus, ac bo.me. Ioanni Baptiſtæ tit. S. Clementis tunc etiam Presbytero Cardinali in locum ipſius Pij V. ad Apoſtolatus apicem vt præfertur aſſumpti, ſubrogato; dedit in mandatis, vt ad executionem reliquorum quorumcunque in præmiſſis neceſſariorum procederent, prout in ipſius Pij V. in ſimili forma Breuis deſuper confectis litteris plenius continetur: quarum vigore Cardinales prædicti litteras Compulſoriales pro extrahendis ſcripturis, ac Remiſſoriales pro teſtibus ſuper articulis ab eis propoſitis & iuxta interrogatoria tunc*

*ria tunc data & eorum litteris incluſa formiter examinandis, decreuerunt & conceſſerunt: quæ cum legitime executa, ac proceſſus & probationes illarum vigore in partibus facti, ad Romanam Curiam tranſmiſſi fuerint, vbi reperiuntur de præſenti, Supplicat humiliter S. V. idem Philippus Rex quatenus dignetur aliquibus ex Reuerendis Patribus Dominis Sacri Palatij Apoſtolici Auditoribus & ſi magis placet RR.PP.DD.Io.Baptiſtæ de Rubeis, Chriſtophoro Robuſterio, & Gaſpari Vicecomiti ipſius Palatij Auditoribus committere & mandare, vt negotium huiuſmodi in ſtatu & terminis in quibus reperitur aſſumentes, & coniunctim procedentes, acta omnia & proceſſus videant, & inquiſitiones, ac probationes, aliaq. neceſſaria diligenter examinent, ordinent quæ erunt ordinanda, & S. V. referant, ad hoc vt ſi ex eorum relatione eidem S. V. conſtiterit inquiſitiones & probationes legitime factas fuiſſe, & ex illis conſtare quantum ſufficiat id facere & exequi valeat in præmiſſis quæ ſanctorum Patrum dogmata, ac ſacrorum Canonum inſtituta & charitas poſtulant Chriſtiana cum facultatibus neceſſarijs & opportunis, & in ſimilibus concedi ſolitis & conſuetis, contrarijs non obſtan. quibuſcumque ſtat. & merita cauſæ & negotij, ac proceſſus huiuſmodi, nec non litterarum prædictarum tenores pro plene & ſufficienter expreſſis habentes.*

De mandato Domini noſtri Papæ, prædicti Auditores & Locumtenens reaſſumant, examinent, procedant, referant, vt petitur & iuſtitiam faciant.

Placet F.

Præſentata præfatis RR. PP. DD. Auditoribus xxix. Maij MDLXXXV.

B*EATISSIME Pater. Cum poſt præinſertæ præſentationem R.P.D.Gaſpar Vicecomes Archiepiſcopus Mediolanen. veſtri Sacri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditor, litteris in præinſerta nominatis a Romana Curia receſſerit & prædicti RR.PP.DD.Ioannes Baptiſta de Rubeis & Chriſtophorus Robuſter, qui cum eodẽ R.P.D. Gaſpare acta omnia & proceſſus viderunt, aliaq. in eadẽ præinſerta*

*expreſſa*

*expreſſa examinauerunt, & ad S. V. referendum quaſi præparati exiſtant; ne per ſurrogationem alterius in eiuſdem R.P.D. Gaſparis locum negotium huiuſmodi longius protrahatur, dignetur S. V. ad eiuſdem Philippi Regis preces eiſdem RR.PP.DD. Ioanni Baptiſtæ & Chriſtophoro Auditoribus prædictis committere & mandare, vt eiuſdem R.P.D. Gaſparis abſentia non obſtan. in prædicto negotio ad vlteriora iuxta eiuſdem præinſertæ formam & tenorem procedant, cum facultatibus & poteſtatibus in eadem præinſerta S. V. voluit non obſtare, ceteriſq. contrarijs quibuſcumq; ſtatutis, &c. pro expreſſis haben.*

De mandato Domini noſtri Papæ prædicti Auditores procedant vt petitur, & iuſtitiam faciant.

Placet F.

Præſentata xxviij. Iunij. M D LXXXV.

## *De relatione Auditorum Rotæ facta ſuper proceſſu Canonizationis S. Didaci. Cap. IX.*

AVDITORES nulla interpoſita mora, magnum opus aggreſſi, proceſſum & omnia eius acta legentes & relegentes, & in ſuas quæq. claſſes diſtinguentes, & varias inde concluſiones apertioris intelligētię gratia, ſicut fieri ſolet, legitime colligentes, poſt exactum fere in tam pio labore biennium, ita S. D. N. Sixto V. reſponderunt.

## SANCTISSIME PATER.

MANDAVIT S. V. per ſpeciale reſcriptum nobis, vt proceſſum & acta omnia, iam ante annum 1563. in curia & extra geſta & formata, ſuper Canonizatione beati Fratris Didaci de S. Nicolao Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia pro-

tia profeſſi in Monaſterio Compluti diœceſis Toletañ. videremus, atq; omnia neceſſaria diligenter examinaremus & ordinaremus, eaq. Sanctitati veſtræ referre deberemus; ad hoc vt ſi ex noſtra relatione eidem Sanctitati veſtræ conſtaret, inquiſitiones & probationes legitime factas fuiſſe, & ex illis appareret, quantum ſufficeret, ea in præmiſſis exequi poſſent, quæ ſanctorum Patrum dogmata, & ſacrorum Canonum inſtituta, & charitas poſtulant Chriſtiana. Ideo parendo mandatis S. V. vidimus proceſſus, & acta omnia præfata, eaq. examinauimus, ſumma qua fieri potuit diligentia, ac Sanctitati veſtræ referenda duximus.

Auditores itaq; in ſua relatione poſt præmiſſas nonnullas demonſtrationes, quibus omnia Iudicum reſcripta, ordinationes, & præcepta legitime fuiſſe executioni mandata oſtendebatur: vniuerſam inſuper prolixi proceſſus fabricam, paucis his concluſionibus artificioſe collectam complexi ſunt.

Proceſſum eſſe legitime recognitum, & interpretatum. I
[*Interpretari in curia dicuntur proceſſus, cum ex Idiomate vulgari, quodcumq. illud ſit, in Latinam linguam conuertuntur.*]

Teſtes in proceſsu Remiſsoriali eſse legitime examinatos: ac de validitate & firmitate examinis huiuſmodi, quo dicta teſtium Remiſsoriæ excepta ſunt, nullo modo dubitari poſſe; cum aperte conſtaret de iuriſdictione, citatione, & mandatis. Teſtes enim omnes coram iudicibus nominati fuerunt, pars citata, iuramenta per ambos Iudices delata, & ab eiſdem diligenter teſtes examinati, vt ex ijs omnibus liquide & clare conſtaret, quæſtiones de ijs legitime habitas, ſeu examen validum fuiſſe. II

Teſtes non pati aliquas legitimas exceptiones, & fidem III
facere

facere. Cum ſint omni exceptione maiores, vt de eorũ qualitate, ætate, numero, & alijs circunſtantijs requiſitis liquet.

IIII Teſtes receptos in litteris Compulſorialibus eſſe legitime interrogatos, & ad perſcriptum ordinem examinatos; iura item legitime excepta & extracta fuiſse; fidem & legitimam probationem facere; quamuis aliqui ex his ſint Fratres eiuſdem Religionis & Monaſterij.

V Librum nuncupatum miraculorum ſatis probare & fidem facere abſq; alia recognitione ſubſcriptionũ & manus Notariorum, qui ea miracula exceperunt. Et ſimiliter duos alios & quinq; quaterniones, & inſtrumentum informationis exceptum in oppido ſancti Nicolai.

*Vt hæc concluſio apertior fiat, obſeruandum eſt: Anno Domini* MCCCCLXIII. *poſt obitum S. Didaci, probationes multorum miraculorum, quæ eius meritis edebantur, in carta pergamena deſcriptas, & à diuerſis notarijs, ſicut ſe offerebat occaſio, exceptas, & in vnum corpus collectas, & in hodiernum vſque diem diligenter in Archiuo Monaſterij S. Franciſci Compluten. cuſtoditas, iuſtum plane volumen effeciſſe; quod vſitata ac communi voce, cum in eo Monaſterio, tum etiam in toto fere oppido, cui res eſt notiſsima, Liber miraculorum dicitur. Aderant præterea in eodem Aruchiuo aliquot alij quaterniones, vel ſcripturarum monumenta, in quibus ſimiliter miracula S. Didaci deſcripta erant. Publicum item documentum exceptum in oppido S. Nicolai del Puerto, vbi natus fuerat B. Didacus, in eodem loco ſeruabatur, in quo multa atque illuſtris de eius actionibus, dum vitam ageret Eremiticam, fiebat narratio.*

VI Conſtare item quendam Iacobum alias Didacum de S. Nicolao del Puerto ante centum annos vixiſſe, ordiniſq. S. Franciſci ex eo Fratrum genere, quos Conuerſos vocant, regulam expreſſe profeſſum, vitam honeſtam, religioſam & ſanctam multa cum laude duxiſſe, ac virum bonæ, optimæ, & excellentiſſimæ vitæ, bonæ famæ, bonorumq. morum fuiſſe. Caſtum item, ſimplicem, humilem, charitate inſignem, eleemoſynis clarum, miſericordem & liberalem erga Chriſti pauperes extitiſſe; multaſq. perſecutiones & labores

bores pro Dei gloria ex charitate paſſum fuiſſe,& talem vſque ad obitum permanſiſſe.

Conſtare prædictum beatum Fratrem Didacum graui ætate confectum, a centum annis & vltra die xii. Nouembris anno MCCCCLXIII. Compluti obijſſe, illiuſq. corpus in capella,quæ ſita eſt in Monaſterio de Ieſus Compluti, & vocatur, *La Capilla del ſancto Fray Diego*, ſepultum fuiſſe, eiuſq. cadauer integrum viſum a iudicibus fuiſſe; vt ex Remiſſorialibus, tam in ſummaria informatione, quando cum maximo totius populi concurſu fuit arca recluſa;quam in extractione facta, cum anno Domini MDLXII. pro vltimo remedio deductum fuit ad Carolum Principem in extremis laborantem, conſtabat. Inſuper magnum fieri tam hominum nobilium quam aliorum oppidi Complutẽſis, illiuſq. vicinia & aliunde concurſum, qui nocte dieq. in eius capella vigilias ducunt ob deuotionem & pietatem, qua erga eum affecti ſunt,illumq. rogant, vt pro eis apud Deum exoret. Multa præterea donaria & ornamenta in ea offerri, quæ hominum deuotionem erga S. Didacum teſtantur, ſuſpendi ſcilicet baculos, quibus infirmi nitebantur, antequam illius interceſſione ſanarentur; appendi imagines tibiarum, capitum, pedum & aliorum membrorum ægrotantium, quæ poſtea eius meritis ſanitate donantur; & ex eius cadauere quatriduano ſuauiſſimum odorem effluxiſſe,qui multis menſibus perdurauit, & adhuc ſæpe certis quibuſdã temporibus a nonnullis percipitur. VII *Lib. 1. ca. 1.* *Lib. 2. ca. 75.*

Aperta affirmatione & atteſtatione probari, & publicã omnium voce & fama B.Fratrem Didacum dum vixit,fuiſſe pro ſancto habitum, & tali nomine hominum exiſtimatione celebratum. Nam cum petens eleemoſynas videbatur, confeſtim omnes qui illum videbant, vt ſanctum commendabant, dicebantq. *Ecce iam aduenit Sanctus*. Poſt obitum vero illius vſque ad præſentem diem omnium ſermone pro ſancto ſimiliter habitum, & exiſtimatum fuiſſe, & ex publica voce & fama communiq. opinione publiceq. & generaliter ſemper ſanctum nominatum. VIII

T Probari

IX Probari quamplurima miracula B. Didaci interceſſione fuiſse facta, quemadmodum ponitur in quinto articulo Remiſsoriæ, in quo continetur Dominum Deum noſtrum non ex vi verborum, ſed meritis & interceſſionibus B. Didaci, tam dum ipſe viueret, quam etiam poſt eius obitum, quamplurima miracula, tam apud eius ſepulchrum, quam alibi inter fideles ſuos humana prorſus ope deſtitutos, & ſuper naturam, huius ſancti ſubſidium humiliter inuocantes & implorantes, operari dignatū fuiſse, eaq. miracula à Deo, non ex arte proceſſiſse.

X Teſtes probare vltra contenta in dicto quarto articulo, plura miracula particularia, ac in primis miraculum quod anno M D L V. ad interceſſionem B. Didaci Deus operatus
*Lib. 1. ca. 73.* fuit in Maria de la Peñuela, quæ cum horrenda primum apoplexia & paralyſi, inde totius lateris ſiniſtri grauiſſima contractione correpta fuiſset, dum in ſacello S. Didaci illius opem imploraret, miraculoſe ſanata fuit.

*Lib. 2. ca. 75.* Præterea ſereniſſimum Don CAROLVM Hiſpaniarum Principem graui ægritudine afflictatum, omniq. ſpe humana deſtitutum, meritis & intercesſione B. Fratris Didaci, cui ſe commendauit, morbo liberatum fuiſse.

XI Ex prędicto libro miraculorum probari etiam multa alia miracula.

Horum ſummarium ijdem Rotæ auditores in fine relationis, ſecuti ordinem libri miraculorum ceterorumq. quaternionum collegerunt, quo facilior eſset inueſtigationis labor, quamuis nullum certum de illis iudicium fecerint.

Ex quibus omnibus tandem concluſerunt, ſentire ſe proceſsum, inquiſitionem, & probationes eſse legitime & ſufficienter factas, ac omnia bene præclareq. eſse parata & inſtructa ex deductis in cap. Venerabilis. de teſtib. & in cap. 1. de reliq. & vener. ſanct.

Dominus

## *Dominus noſter Sixtus V. cauſæ Canonizationis B. Didaci quoſdam Cardinales præfecit, vt eam promouerent. Cap. X.*

CANONISTAE, vt patuit in ſexto capitulo ad Canonizationem requiſito, concluſiones ab Auditoribus Rotæ firmatas & conſtitutas per ipſummet Romanum Pontificem, aut per Cardinales ab eo deputandos poſtea examinandas & diſcernendas dicunt. Libri Rituales ſeu ſacrarum cęremoniarum Romanæ Eccleſiæ paulo hæc diſtinctius, ac latius conſtituunt; quod vbi Auditores retulerint rem bene eſſe paratam, iterum S.D.N.de conſilio fratrum committit tribus Cardinalibus, nempe Epiſcopo, Presbytero, & Diacono, vt diligenter examinent inquiſitiones, probationes,& depoſitiones teſtiũ, & conſiderent ſolertiſſime omnia cõſideranda, vt cum Sanctitati ſuæ placuerit, in ſecreto Conſiſtorio referatur. Hæc quam ſint in hac Canonizatione præſtita diligenter, rerum geſtarum acta facile demonſtrant. *Auditores Rotæ.*

Ceterum quoniam omnes illi Cardinales, quos Pius IV. & Pius V. huic Canonizationis negotio præfecerant, iam ab humanis exceſserant; propterea Sixtus Pont.Max.anno 1587.die 23.Ianuarij in Conſiſtorio ſecreto eodem die habito,Alexandro Farneſio Hoſtien.Marco Antonio Columnæ Præneſtin. Epiſcopis, Michaeli Bonello Alexandrino, Iulio Antonio Sanctorio ſanctæ Seuerinæ, Antonio Caraffæ, & Conſtantio Sarnano presbyteris; ac Ferdinando de Medices, & Hieronymo Matthæio Diaconis S. R. E. Cardinalibus commiſit, vt inquiſitionem, probationes, & depoſitiones teſtium, aliaq. omnia conſideranda accuratiſſime & diligentiſſime cõſiderarent, vt cum Sanctitati ſuæ hæc rite recteq. examinata viderentur, ad vlteriora commode procedi poſset. Fuerunt hi Cardinales (vt apparet) numero plures, quam libri Rituales expoſtulent; quod ſapienter conſtitutum fuiſse cernitur: nam vbi multa conſilia, ibi ſalus. Erant præterea ex illis quidam ſacræ Theologiæ peri-

tia inſignes, alij Canonum Pontificiorum & legum cognitione præſtantes, omnes vero rerum gerendarum induſtria ornatiſſimi, & in magnis rebus negotijsq. pertractandis exercitatiſſimi.

## *De Cardinalium præfatorum aſſiduo labore, exquiſita diligentia, & ordine quo cauſam Canonizationis ſibi commiſſam tractarunt, eamq. peregerunt. Cap. XI.*

*Prima cõgregatio.*

CARDINALES tanti, tantum & tam arduum negotium aggreſſi, varios conuentus, in quibus de cauſa diligenter diſceptaretur, protinus habere decreuerunt. Anno igitur 1587. die 13. Februarij in Palatio Farneſiano, Prima Congregatio habita eſt.

Ioannes Baptiſta de Rubeis Decanus, & Chriſtophorus Robuſterius Rotæ Auditores, qui auctoritate Apoſtolica proceſsum examinarant, omnia huius cauſæ acta, inſtrumenta, reſcripta, vbiq. confecta, ſimul cum ſua relatione præſentibus Cardinalibus, præſentes ipſi tradiderunt; aſſerentes ſe id negotium diligenter pertractaſse, recognouiſſe, perpendiſse, quemadmodum ex eorum relatione comprehendi poterat. Quibus auditis & dimiſsis, Cardinales, diuino primum humiliter implorato præſidio, quo eorum mentes in tam ardua cauſa feliciter dirigerentur, & illuminarentur de negotio deliberare cœperunt.

In hoc primo conuentu prudenter decretum eſt, vt omnia quæ in dicto Proceſsu, & in Auditorum Rotæ relatione habebantur, diligenter iterum examinarentur, ac perpenderentur. Item vt in futuris conuentibus a Secretario Congregationis per continentiam ſcripturarum, ſiue per extenſum ſeries rerũ omnium legeretur, vt & veritas de qua inueſtigatio futura erat, facilius inueniri, & num cetera cũ ſummaria informatione Auditorũ cõuenirẽt, apertius agnoſci poſset.

Iuſſum

Iuſſum inſuper eſt, vt proceſsus & relationis Auditorũ ſingulis Cardinalibus copia fieret, vt commode quiſq; per ſe intra priuatos parietes cauſæ acta perlegere & conſiderare poſset, vt negotij grauitas iure optimo poſtulabat. Similiter conſtitutum eſt, vt penes Secretarium omnes ſcripturæ originales tam proceſsuum, quam ceterorum eiuſdem cauſæ actorum remanerent, & ab eodem diligenter ſeruarentur.

## De Secretario huius cauſæ.

AD Decreta quæ in his conuentibus per Cardinales fiebant conſcribenda, Petrus Georgius Odeſcalcus Sedis Apoſtolicæ Notarius (Protonotarium Romana Curia vocat) accitus eſt: quod prudentiſſime conſtitutum fuiſſe conſtat, vt ſeptem antiquorum notariorum Romanæ Eccleſię (quos Clemens I. diuiſa Vrbe in ſeptem Regiones ad Martyrum geſta ſollicite & fideliter inquirenda & conſcribenda inſtituit, & Anterus, Fabianusq. Pontifices confirmarunt,) veſtigium aliquod in his ſanctorum Canonizationibus ſeruari videatur; cum imitanda & cõſeruanda quantum fieri poteſt, non violanda ſint aut cõtemnenda antiqua Eccleſiæ inſtituta. Extat Romæ horum Protonotariorum collegium antiquitate percelebre, & virorum qui in illud cooptari ſolent præſtantia illuſtre. Hoc ergo conſilio Odeſcalcus deſumptus, in his Cardinalium conuentibus pro Canonizatione ſancti Didaci faciendis Secretarij officio functus eſt.

## De Aduocato eiuſdem cauſæ.

AD difficultates quæ frequenter ſe offerunt in tam difficili negotio ſuperandas, diſertus ſemper & peritus aduocatus adhiberi ſolet. In hac vero cauſa cum a principio apud Cardinales de concluſionum ab Auditoribus Rotæ conſtitutarum veritate ageretur, Horatius Burgheſius Nobilis

Nobilis Romanus vtriusq. Iuris peritia clarus, ac iam antea Conſiſtorialis & Regius in Romana curia aduocatus, vir integerrimus adhibitus eſt.

Ceterum cum antequam Canonizationis cauſa perageretur, a Sixto V. Pontifice fiſci aduocatus eſſet conſtitutus, & alijs publicis muneribus addictus, huic cauſæ patrociniū amplius exhibere non potuit: Placuit itaq; Cardinalibus & Don Henrico de Guzman Comiti de Oliuares, qui nomine Catholicę Maieſtatis pro Canonizatione frequenter intercedebat, vt ego Franciſcus Pegña Sacræ Theologiæ & I.V.D. qui tum Rotæ Pontificiæ Auditor, a Catholico Rege deſignatus, & Pontifice libenter admiſſus fueram, in locum Horatij Burgheſij aduocati in eadem cauſa ſufficerer. quod tametſi valde mihi difficile videbatur, tum propter rei de qua agebatur magnitudinem, tum quia in locum viri eruditiſſimi ſubſtituebar, tum deniq. quoniam apud doctiſſimos & prudentiſſimos Cardinales, quales antea dixi, erat agēdum; ſuſcepi tamen munus libentiſſime, quod putarem induſtria mea qualicumq. ſanctiſſimi viri Didaci cauſam ad Dei in primis gloriam & ſancti ſui honorem pertinentem iuuari poſſe, & Sixti V. votis, qui eam promouebat, & Catholicę Maieſtatis pio deſiderio, qui eamdem tantopere curabat, ſatisfieri. Et quamquam, ingenue fatear, nec meam nec cuiuſlibet alterius aduocati induſtriam in hoc negotio deſiderari debuiſſe, cum tantorum Cardinalium peritia, aſſiduo labore & exacta in primis diligentia omnes difficultates & impedimenta ſuperari potuiſſent, quemadmodum deniq. euictæ ac ſuperatæ ſunt: contuli tamen ego ob illud quo tenebar negotij perficiendi deſiderium, aliquid licet exiguum fuerit, quod Cardinalium eorundem iudicio fortaſſe non leuiter profuiſſe iudicatum eſt.

## De Procuratore cauſæ.

MVlta ſe frequenter offerebant vel Cardinalibus denuncianda, vel ab ipſis decreta executioni diligenter eman-

emandanda, quæ & virum rerum gerendarum peritum, & in primis fideliſſimum poſtulabant. Quæ omnia in Lauro Dubliulio Regis Catholici in Romana Curia in rebus, vt dicunt, Agente facile conueniſſe videbantur. Quamobrem is demandatum ſibi munus tam diligenter & fideliter executus eſt, quam cetera ſuæ curæ commiſſa.

Die xiiij. Martij eiuſdem anni, apud Farneſium ſecunda Congregatio habita eſt. *II. congregatio.*

In ea congregatione hæc fuerunt acta; poſt examinatas proceſſuum ex Hiſpania tranſmiſſorum recognitiones in Curia factas; decretum eſt eas fuiſſe legitimas, quemadmodum in prima concluſione Relationis Rotæ Auditores aſſeruerant.

Ad hæc productæ & lectę fuerunt litteræ Catholicæ Maieſtatis, & Caroli Principis, quibus Canonizatio hæc fieri petebatur. Reſcripta quoque Pij Quarti, & Pij Quinti, ſuper delegatione Cardinalium ad inquiſitionem de vita & ſanctitate beati Didaci faciendam lecta ſunt, & decretum vt originalia extraherentur, ac in proxime futura congregatione afferrentur.

Die xvii. Aprilis anni prædicti, in Palatio Farneſiano tertia congregatio eſt celebrata. *III. congregatio.*

Reſcripta Pij Quarti, & Pij Quinti, lecta, & cum exemplis collata, cum eis concordare reperta ſunt. Mox lectis articulis & interrogatorijs, citationibus teſtium, eorumq. nominibus, qui acciti fuerunt pro dicta informatione, citatione fiſci, & deputatione loci ab Epiſcopis commiſſarijs facta, hiſq. omnibus legitimis repertis & pronunciatis, ſecundam concluſionem ab Auditoribus Rotæ collectam confirmandam cenſuerunt.

Addiderunt præterea quoad primam cõcluſionem, quæ in ſecunda congregatione fuerat approbata, vt videretur, An notarius coram quo fuerat facta ea recognitio, eſſet vere Notarius, ac vt per aliquos teſtes eius ſignum cognoſci deberet.

In ordine in poſterum obſeruando cauerunt, vt in qualibet congregatione teſtimonia decem & octo teſtium legerentur, & ſuper eorum dictis ſingulæ concluſiones firmarentur.

*IIII. congregatio.* Eodem anno MDLXXXVII. die xii. Iunij apud eundem Farneſium quarta congregatio eſt habita.

Decretum eſt, vt proceſſus, iuxta ordinem, quem Auditores ſer uarunt, legeretur; ſingulæq. eorum concluſiones examinarentur. Dicta præterea aliquot teſtium ſicut in proxime præcedenti congregatione fuerat conſtitutum, lecta ſunt.

*V. congregatio.* Die ſeptima Iulij eiuſdem anni in Palatio Cardinalis Columnæ, quintus eſt habitus conuentus.

Tertia Auditorum concluſio, qua continebatur omnes teſtes idoneos eſſe, confirmata eſt.

*VI. congregatio.* Die xx. Iulij anni MDLXXXVII. apud eundem Cardinalem Columnam congregati ſunt Cardinales, tum quartam & quintam Auditorum concluſionem diſcutientes cenſuerunt, iura virtute Compulſorialium ab Epiſcopis commiſſarijs fuiſſe legitime extracta, teſteſq. ſuper archiui cuſtodia legitime examinatos, idoneos eſſe, & fidem facere.

Quatenus autem ad fidem ſcripturarum extractarum diſtinguentes aſſeruerunt, ex inſtrumentis ſeu atteſtationibus Notariorũ contentis in libro miraculorum, quædam eſſe recognita eo modo quo potuerunt, qualia ſunt rogata per Ioannem Diaz & alios quoſdam tabelliones; alia vero minime eſſe recognita: omnia tamen (exceptis iliis, quibus Notarij non ſubſcripſerunt, nec in publicam formam redegerunt) etiam abſque recognitione, quantum in ſe eſt, fidem facere & probare; tum quia habent ſigna & ſubſcriptiones Notariorum, & ſpeciem ſeu apparentiam publicorum inſtrumentorum, quibus ſecundum conſuetudinem loci in iu-

dicio

dicio & extra fides adhibetur, ſicut deponunt teſtes ſuper eorum recognitione examinati; tum etiam propter antiquitatem temporis.

Item quoad probationem, quam ea antiqua inſtrumenta faciunt, diſtinguentes ſimiliter pronunciauerunt, aliam eſſe habendam rationem atteſtationum ſeu teſtimoniorum receptorum a Notarijs cum præſentia iudicum Eccleſiaſticorum, aut ſine eorum præſentia, de cuius probationis qualitate ſuo loco & tempore ſi neceſſe foret, agendum dixerunt.

Poſtremo in proxima congregatione de Quinternionum recognitione & fide tractandum eſſe conſtituerunt.

Die XXIV. menſis Auguſti in palatio Cardinalis S. Seuerinæ ſeptima congregatio eſt habita. Tres tantum Cardinales Sancta Seuerina, Carafa & Medices affuerunt: ac poſt longam diſcuſſionem ſtatutum eſt, tam duos primos Quinterniones, quam quinque alios, qui fuerunt reperti in quadam ſtannea capſa per teſtes bene probātes ſolemnitatē ſcripturarum & Notariorum legitime fuiſſe recognitos. *VII. congregatio.*

De probatione vero miraculorum in dictis Quinternionibus contenta, cenſuerunt teſtes examinatos per Notarios abſq; pręſentia Iudicis Eccleſiaſtici, vel coram Iudice minus competente, non facere fidem, neque per eorum teſtimonia miracula probari.

In palatio Card. Columnæ eodem anno M D LXXXVII. habitus eſt octauus conuentus. Hic poſt longam & accuratam diſputationem ſuper ſexta concluſione Auditorum Rotæ, decretum eſt, eam concluſionem veram & firmam eſſe, & S. Didacum in humanis agentem, ſanctam, inculpatam & omni virtutum genere ornatam vitam traduxiſſe; in primis vero eum Ordinis S. Franciſci (quem expreſſe fuerat profeſſus) inſtituta inuiolabiliter obſeruaſſe. *VIII. congregatio.*

Deinde ſeptimam concluſionem in ſequenti congregatione pertractandam ſtatuerunt.

IX. congregatio. Die XX. Nouembris eiuſdem anni MDLXXXVII. apud Cardinalem Sanctæ Seuerinæ nonus ſuo ordine conuentus eſt celebratus. Cardinales S. Seuerinæ, Carafa, Sarnanus, Mathęius interuenere.

In his Cardinalis Don Ferdinandus de Medices non amplius interfuit, iuerat eo anno Florentiam, cum vero Florentiæ moraretur, Franciſcus Magnus Etruriæ Dux Frater eius germanus graui ægritudine correptus obijt, vbi Ferdinandus iure legitimæ ſucceſſionis magna omnium populorum lętitia Ducatum iniuit, & magnus Dux more maiorum acclamatus & ſalutatus fuit.

In hac congregatione poſt multam diſcuſſionem ſeptima & octaua Auditorum Rotæ concluſiones approbatæ ſunt, quemadmodum ſupra in nono capite continetur.

Conſtitutum præterea, vt in ſequenti conuentu de veritate nonæ concluſionis ageretur.

X. congregatio. Anno mox ſequenti MDLXXXVIII. die xii. Ianuarij in palatio Cardinalis Columnæ decima congregatio eſt celebrata. Nonam Auditorum Rotæ concluſionem approbandam Cardinales cēſuerunt, & in proximo conuentu decimam tractandam conſtituerunt.

Dum hæ ceterę q. poſteriores concluſiones, in quibus totius negotij ſumma continebatur, diſputarentur; ego iam aduocationis in hac cauſa munus obibam.

XI. congregatio. Die xvi. Martij MDLXXXVIII. apud eundem Cardinalem Columnam vndecima congregatio eſt habita. Et denique poſt accuratiſſimam & diligentiſſimam diſputationem ſuper decima concluſione, decretum eſt, miraculum quod contigit in perſona Doñæ Mariæ de la Peñuela, fuiſſe & eſſe verum miraculum: ideoq. inter miracula B. Didaci in eius Canonizatione referri debere. *Lib. 2. ca. 73.*

In ſequenti deinde congregatione miraculum quod in perſona Caroli Principis B. Didaci meritis & interceſſione Deus eſt operatus, tractandum Cardinales propoſuerunt.

Die

Die xxiiij. Maij hora xx. anni MDLXXXVIII. in Farneſiano Palatio xij. conuentus eſt celebratus. Hic ſimiliter magna facta eſt diſquiſitio; omnibus vero diligenter & mature conſideratis, prudenterq. perpenſis decretum eſt, miraculum quod miſericors Deus meritis & interceſſione B. Didaci dignatus fuit operari in perſona CAROLI Hiſpaniarum Principis in extremo vitæ articulo conſtituti, fuiſſe & eſse verum & indubitatum miraculum, alijsq. miraculis interceſſione beati Didaci adnumerandum, ſicut Auditores Rotæ in decima concluſione poſuerant.

*XII. congregatio.*

*Lib. 2. ca. 75.*

Mox conſtituerunt, vt in ſequenti proxima congregatione aliquot probatiora & illuſtriora miracula examinarētur.

Die xxviij. Maij MDLXXXVIII. in Palatio Card. Columnæ xiij. congregatio eſt habita. Hic poſt multā etiam diſputationem, & diligentiſſimam diſcuſſionem ſuper multis habitā, decretum fuit, miraculum ſuauitatis odoris ex cadauere B. Didaci prodeuntis, ceteris adnumerandum, & inter alia miracula in eius Canonizatione referendum eſſe.

*XIII. congregatio.*

*Lib. 2. c. 4*

De integritate corporis etiam eſt pertractatum, de qua cenſuerunt non eſſe miraculum; ceteris tamen concurrentibus admiratione & veneratione dignam, ac in Relatione Cōſiſtorij, & poſtmodum in Canonizatione eſse referendā.

*Lib. 2. c. 5*

Quoniam autem Cardinales nullo pacto iam dubitabāt, quin beatus Didacus, ſi Pontifici placeret, Canonizari poſſet; cum & vitæ ſanctitas, & illuſtria aliquot eius miracula plene probata exploratáq. fuiſſent; nihilominus vt omnia exactius & prudentius fierent, nonnulla amplius ſigna ex multis ſeligi decreuerunt, quæ in Conſiſtorio referrentur, & in diplomate Canonizationis narrarentur. Quod vt facilius fieret, atq; aliquis Rotæ Auditor cauſam agnoſceret, de ea ſi opus eſſet in Conſiſtorio reſponſurus, ſicut præcipiunt libri Romanæ Eccleſiæ Rituales: (nam hoc tempore duo illi Auditores Ioannes Baptiſta de Rubeis Peruſiæ Ciuitatis gubernationi præfectus, & Chriſtophorus Robuſterius Oriolen. Eccleſiæ creatus Epiſcopus aberant: ego vero

Rotæ Auditor tantum eram deſignatus) viſum eſt Cardinalibus, vt Seraphinus Oliuarius Razzalius Rotæ Vicedecanus vir ingenio præſtans, & litterarum cognitione excellens, & ego primum tractaremus, deinde eis referemus: conuenitur igitur inter nos, ſequentia miracula ſeligenda eſſe, vt illa ſicut Cardinales decreuerant in examen & iudicium deducerent.

Primum de Catharina de Duron, quæ cum muta, ſurda, & manibus pedibusq. capta fuiſſet, a beato Didaco ſanata eſt.

Alterum de adoleſcente Didaco de Lorca a malo ſpiritu ab infantia vexato, & diuinitus liberato.

Tertium de Catharina Bartholomęi Sanchez vxore, quæ cum ad mortem ob pariendi periculum ægrotaſset, & mortuum fœtum edidiſset, diuinitus ſeruata eſt, & fœtus ad vitam reuocatus fuit.

Hæc aliaq. tunc pro abſoluendo negotio neceſsaria Cardinalibus proponuntur: qui more ſolito conueniunt, & vt mox dicetur cauſæ finem imponunt.

*XIII. congregatio.* Tandem hoc eodem anno MDLXXXVIII. die xij. Iunij, qui ſanctiſſimę Trinitatis cultui erat dicatus, apud Cardinalem Farneſium Cardinalibus conuenientibus, vltimus & feliciſſimus in cauſa Canonizationis beati Didaci conuentus eſt habitus. Hic ſumma ſuffragiorum conſenſione proxime narrata miracula comprobata ſunt.

*Lib. 2. c. 8* Primum illud de Catharina de Duron 12. annorum puella, quæ cum muta & ſurda euaſiſset, ac manibus & pedibus ſubita vi morbi oppreſsa & capta eſset, cum in ſacello beati Didaci peruigilaret, & eius ſacra manu conſignaretur, confeſtim omni infirmitate liberata eſt.

*Lib. 2. ca. 19.* Alterum de Didaco de Lorca, qui ab infantia malo ſpiritu acriter vexatus, in ſacello B. Didaci deuotiſsime orans, omnino liberatus eſt.

*Lib. 2. ca. 16.* Tertium & poſtremum de Catharina Bartholomæi Sanchez vxore, quæ cum ab aurora vſq; ad veſperas ob partum in vtero tranſuerſum ita periclitaretur, vt nulla de eius vita ſpes

ta ſpes

ita ſpes reliqua foret, cum particula quædam habitus S. Didaci ei eſset impoſita, ſtatim pariens periculo liberata eſt. Sed puellam edidit mortuam, quam poſt aliquot horas ſancti Didaci, intercesſione, quem deuotiſsime implorauerat, mater viuentem recepit.

His itaq; vt dixi ſumma animorum & ſuffragiorum conſenſione (ita vt particulari quodam beatiſsimæ Trinitatis præſidio & afflatu eorum corda, interim mouente duci viderentur) ſtabilitis, nulloq. amplius dubitationi relicto loco conſtituerunt, (ſi ita ſanctiſsimo Domino Papæ placuiſſet) legitime ad Canonizationē beati Didaci procedi poſſe, cum de excellentia & ſanctitate vitæ, de fidei puritate, ardente charitate, bonis operibus & actionibus, multisq. miraculis ob eius intercesſionem & merita factis pleniſsime conſtitiſſet.

Summa rerum capita breuiter indicauimus potius quam docuimus; nam ſi copioſe omnia diſserenda forent, iuſtam libri menſuram excederem; quis enim facile aut breuiter commemoraret, aſsiduum Cardinalium laborem & incredibilem diligentiam, qua proceſſum & omnia eius acta aduocatiq. conſilia & allegationes nocte dieq. reuoluentes & conſiderantes puriſsimam & integerrimam veritatem eruere conabantur: nec deſtiterunt, donec re perfecta, certiſsimum pariter & ſanctiſsimum de Canonizatione celebranda iudicium protulerunt.

Cum Cardinales conuentus ſuos celebrarent, nec Aduocatus, nec Procurator cauſæ, ac nec quiſquam quidem alius præter Secretarium aderat præſens.

### *Ad acta quædam in Curia celebrata recognoſcenda cæteraq. neceſſaria peragenda poteſtas ſit, & iuriſdictio tribuitur eiſdem Cardinalibus. Cap. XII.*

VT ad vlteriora in cauſa Canonizationis legitimo iure procederetur, nonnulla agenda ſupererant: oportebat enim recognoſcere quædam acta in Curia præſertim celebrata. Et quoniam ad illa

legitime

legitime tranſigenda iuriſdictionis attributæ poteſtas non videbatur extendi, propterea denuo ſupplices Pontifici preces porrectæ ſunt, vt facultatem ad ea exercenda concedere dignaretur: quod plane Pontifex ſine mora & ſponte cōtulit, quemadmodum ex ſequenti conceſsione apparet.

Commiſsio.

## TOLETAN.

*Beatissime Pater. Alias fel. recor. Pio Papæ IV. S. V. prædeceſſori, pro parte deuotiſsimi veſtri & Apoſtolicæ Sedis filij Philippi Hiſpaniarū Regis Catholici, & cla. me. Caroli Principis eius nati, & tunc Adminiſtratoris Archiepiſcopatus, necnon Capituli Eccleſiæ Toletan. & quamplurium tam Eccleſiaſticarum quam etiam ſæcularium vniuerſitatum, & aliorum Chriſtifidelium illarum partium expoſito, quod poſtquam alias ante centum videlicet annos in domo S. Franciſci oppidi Compluten. Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum Toletanæ diœceſis, bo. me. Didacus de S. Nicolao Frater Conuerſus dicti ordinis religioſam vitam egerat, & ibi plenus dierum in Domino requieuerat, eius corpus integrū conſpiciebatur, & in tanta vitæ innocentia & ſanctitatis opinione habebatur, vt multis eius tā viuentis quā mortui meritis & interceſsionibus pijsq. fidelium precibus ſicut illuc pie credebatur exoratus Altiſsimus plurima apud eius ſepulchrum miracula operari dignabatur, quibus beatitudinis illius ſignis religione ducta vicinorum populorum multitudo ſaluberrimum eius ſuffragium votis ſupplex implorabat, ac propterea non indignus apparebat, qui Sanctorum Dei catalogo aſcriberetur, Idem prædeceſſor bo. me. Morono tunc Epiſcopo Præneſtino, & Ioanni Michaeli tit. S. Anaſtaſiæ Saraceno, ac Michaeli ſanctæ Sabinæ Alexandrino, necnon Clementi tituli S. Mariæ in Aracæli Presbyteris, ac Vitellotio S. Mariæ in Porticu Diacono Vitellio S. R. E. Cardinalibus vniuerſum ſuper præmiſsis examen per eos vel alium, ſeu alios ab eis deputandos facien. ac plenam, omnimodam & totalem eius negotij cognitionem de fratrum conſilio, ita quod habita ſummaria ſuper vita & conuerſatione ipſius Didaci dictisq. miraculis informatione, quæ circa ea reperiſſent ipſi præde-*

*prædeceſſori in Conſiſtorio ſuo ſecreto fideliter referre curarent; per ſuas in forma Breuis litteras commiſit, atq; mandauit, dictiq. Cardinales ad commiſſionis & mandati huiuſmodi executionem procedentes, Segobien. Seguntin. & Conchen. tunc Epiſcopos ad ſummariam ſuper vita & conuerſatione ipſius Didaci, prædictisq. miraculis informationem in genere faciendam ſubdelegarunt, ipſiq. Epiſcopi ſubdelegati in negotio ſiue articulo eis delegato legitime procedentes, proceſſum ab eis confectum ad Cardinales delegantes prædictos tranſmiſerunt, prædictoq. Pio IV. interim ſicut Domino placuit de medio ſublato, & piæ mem. Pio Papa V. ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpto, ijdem Cardinales ſummariæ informationis per dictos Epiſcopos factæ & ad eos tranſmiſſæ, relationem prædicto Pio V. fecerunt: qui Cardinalium prædictorum relatione intellecta eiſdem Cardinalibus, ac bo. me. Ioanni Baptiſtæ tit. S. Clementis tunc etiam Presbytero Cardinali in locum ipſius Pij V. ad Apoſtolatus apicem vt præfertur aſſumpti, ſubrogato; dedit in mandatis, vt ad executionem reliquorum quorumcunque in præmiſſis neceſſariorum procederent, prout in ipſius Pij V. in ſimili forma Breuis deſuper confectis litteris plenius continetur: quarum vigore Cardinales prædicti litteras Compulſoriales pro extrahendis ſcripturis, ac Remiſſoriales pro teſtibus ſuper articulis ab eis propoſitis & iuxta interrogatoria tunc data & eorum litteris incluſa formiter examinandis, decreuerunt & conceſſerunt: quæ cum legitime executæ, ac proceſſus & probationes illarum vigore in partibus facti, ad Romanam Curiam tranſmiſſi fuerint, & perfecti, S. V. per ſpeciale reſcriptum ſua manu ſignatum Magiſtris Io. Baptiſtæ de Rubeis Decano & Chriſtophoro Robuſter Rotæ Auditoribus cõmiſit & mandauit, vt negotium huiuſmodi in terminis in quibus reperiebatur aſſumẽtes, & coniunctim procedẽtes, acta omnia & proceſſus viderẽt, & inquiſitiones & probationes, aliaq. neceſſaria diligenter examinarent, ordinarentq. ordinanda, & S. V. referrent, ad hoc vt ſi ex illorum relatione eidem S. V. conſtaret inquiſitiones & probationes legitime factas fuiſſe, ea in præmiſſis exequi poſſent, quæ ſanctorum Patrum dogmata & ſacrorum Canonum inſtituta ac charitas poſtulant Chriſtiana, cum facultatibus neceſſarijs & opportunis, & in ſimilibus concedi ſolitis & conſuetis: qui parendo mandatis S. V. viderunt proceſſus & acta omnia*

*omnia, eaq. ſumma qua fieri potuit diligentia examinauerunt, & S. V. retulerunt, proceſſum, inquiſitionem & probationes eſſe legitime & ſufficienter factas, ac rem bene eſſe paratam. Vnde S.V. in ſuo Conſiſtorio ſecreto Decimo Kal. Februarij Pontificatus ſui anno ſecundo celebrato, Alexandro Farneſio Epiſcopo Oſtienſi, Marco Antonio Columnæ, Michaeli Bonello Alexandrino, Iulio Antonio Sanctorio S. Seuerinæ, Antonio Carafæ, & Conſtantio Sernano Preſbyteris, ac Ferdinando de Medices, & Hieronymo Matthæi Diaconis S.R.E. Cardinalibus commiſit, vt inquiſitiones, probationes, & depoſitiones teſtium aliaq. conſideranda ſolertiſſime cõſiderarent, & cum S.V. placuerit, ad vlteriora procedi poſſet. Cum autem Pater Sancte, Cardinales prædicti inquiſitiones & probationes huiuſmodi, ac teſtium depoſitiones, aliaq. conſideranda in huiuſmodi negotio ſolertiſſime & accuratiſſime egerint, ita vt in calculo relationis fere exiſtant, & quia pro finali negotij huiuſmodi executione nonnullorum actorum præſertim in Curia factorum debita recognitio facienda ſit, & vt tam præmiſſa quam cetera omnia negotium huiuſmodi concernentia finali executioni demandari poſſint: Supplicat humiliter S.V. idem Philippus Rex, quatenus eadem S.V. dignetur eiſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus committere, & mandare, vt in negotio huiuſmodi ad vlteriora procedentes omnia & ſingula in præmiſſis & circa ea neceſſaria, & quomodolibet opportuna exequantur, cum poteſtate citandi & inhibendi, alijsq. facultatibus in præmiſſis & circa ea neceſſarijs & opportunis, ac in ſimilibus concedi ſolitis & conſuetis, contrarijs non obſtan. quibuſcumque ſtat. & merita cauſæ & negotij huiuſmodi, nec non litterarum tenores pro plene & ſufficienter expreſſis habentes.*

De mandato S. D. N. Papæ prædicti Reuerendiſsimi Domini Cardinales procedant & exequantur, vt petitur.

Placet F.

*Die 9. Aprilis 1588. Alexander Parabiachus magiſter Illuſtr. & Reuer. Dominis retroſcriptis Cardinalibus, per nos Io. Baptiſtam Bagnum & Petrum de Beque Curſores.*

Pro P. Didaco de S. Nicolao.

*De Rela-*

## *De relatione, quam fecit in Conſiſtorio Marcus Antonius Cardinalis Columna. Cap. XIII.*

CETERA ad Canonizationem requiſita, quæ & Canoniſtæ & libri ſacrarum Cæremoniarum cõmemorant, quæ plane non iam ad proceſſuum probationumq. ſubſtantiam, ſed ad ſolemnitates potius & cæremonias exteriores pertinent, quomodo in hac Canonizatione accuratius fortaſſis quã in alijs fuerint obſeruata, acta quæ nunc relaturi ſumus, facile demonſtrant.

Alexandro Cardinale Farneſio (ad quem tamquam ad antiquiorem Epiſcopum Cardinalẽ in hac cauſa Iudicem commiſſarium referendi ad Papam Cardinaliumq. collegium munus pertinebat) legitime impedito, Marcus Antonius Cardinalis Columna Epiſcopus Præneſtinus id muneris iure ſuſcepit. Quamobrem die 20. Iunij, Anno 1588. in Conſiſtorio ſecreto ea de cauſa habito, eleganti & ornata oratione Latina de inculpata vita S. Didaci, moribus incorruptis, clariſſimis miraculis, prudentiſſime diſſeruit: ſed cum in orationis curſu multa dixiſſet, tandem ita concluſit; ſanctitatem vitæ B. Didaci, fidei puritatem & integritatem, egregias virtutes, præclara & inſignia miracula inuẽta fuiſſe optime legitimeq. probata. Itaq; collegas ſuos, qui in eadem cauſa Iudices fuerant cõſtituti, ſeq. in eam ſententiam vnanimiter veniſſe, vt in negotio Canonizationis poſſit ſi vellet Sanctitas ſua ad vlteriora procedere, & beatum Didacum in Sanctorum numerum referre merito poſſe.

*Hęc oratio habetur in fine huius libri.*

Hæc cum ſummo ſilentio, auidiſſime, vt rei grauitas poſtulabat, pronis omnium animis, tum a Pontifice, tum ab vniuerſo Purpuratorum collegio excepta fuiſſent; dictis primum ex ordine ſententijs, Cardinalium Senatus cenſuit ita cauſam præclare eſſe inſtitutam, & omnia ad Canonizationem neceſſaria ſic fuiſſe comprobata, vt merito ad cetera, quæ ſupererant abſoluenda progrediendum foret, ſeq. ita ſentire concordibus ſuffragijs idem ſacrum collegium aſſeruit.

Quibus auditis mox ſua Beatitudo decreuit, vt ad vlteriora procedatur, & ſtatim Conſiſtorium ſolutum eſt.

## *Aduocatus Conſiſtorialis, narrata ſancti Didaci vita & miraculis, nomine Regis Catholici Canonizationem celebrari petit.* *Cap. XIIII.*

DIE 25. Iunij eiuſdem anni 1588. iuxta ſacrarum cęremoniarum Romanę Eccleſiæ obſeruationes, publicum Conſiſtorium habitum eſt; in quo ſummus Pontifex Pluuiali purpureo indutus, mitraq. pretioſa ornatus, in eminentiori throno conſedit, vbi præter Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & ceteros curiæ Prælatos, innumerabilis quoq. principum virorum, & nobilium omnis ætatis & gradus multitudo conuenit. Tunc Pompeius Arigonius Conſiſtorialis & Catholicæ Maieſtatis aduocatus, eleganti, graui, ornataq. oratione Latina, pio in primis Catholici Regis laudato deſiderio, ſanctoq. illius zelo non immerito egregie commendato (qui tamdiu incredibili & aſſiduo animi conatu pro Canonizatione S. Didaci celebranda apud ſedem Apoſtolicam interceſſerat) vitam, mores, & actiones, illuſtriaq. Didaci miracula, omnibus attentiſſime iucundiſſimeq. audientibus retulit. Ac nomine præterea Catholicæ Maieſtatis ſuorumq. Regnorum S. Didacum in Sanctorum numerum referri, poſtulauit.

*Hęc oratio habetur in fine huius libri.*

Hac oratione habita cum multum ab vniuerſis adſtãtium ordinibus commendaretur, ſtatim Antonius Boccapadulius Pontificis Secretarius, efficaces & continuas Regis Catholici preces, inſignem pietatem, ceteraſq. virtutes breuiter commemorans, pariterq. commendans; nomine ſuæ Sanctitatis reſpondit, tanti negotij grauitatem, ſuo quaſi iure poſtulare, vt Pontifex maturius, diligentius, ac deliberatius conſideraret: idq. fuiſſe in cauſa cur Papa tunc ſa-

crum

crum Cardinalium Senatum, Patriarchas, Archiepiſcopos Epiſcopos & Abbates, quorum conſilio tantum negotium peragendum erat, diligenter hortaretur, vt magno animi ſtudio, mentiſq. conatu in illud incumberent, ſimulq. miſericordem, ac benignum Deum precarentur, vt tam grauis & ardua cauſa ad gloriam & honorem ſuũ feliciter procederet. Quibus rite de more factis, Conſiſtorium dimiſſum eſt.

Iſtam Antonij Boccapadulij nomine Pontificis reſponſionem in gratiam lectoris hoc loco inſerere placuit, quæ ita habet:

*DIuturnam Philippi Regis Catholici poſtulationem de B. Didaco viro & vitæ ſanctitate, & miraculorum copia, & magnitudine clariſſimo in Sanctorum Catalogum adſcribendo digniſſimam iudicat Sanctiſſ. Dominus noſter perpetua Regis ipſius pietate & gloria. Qui enim curã cogitationemq. oẽm habet locatam & fixam in Catholica religione tuenda et propaganda, qui & ſemper antea & hoc maxime tempore ſummis opibus contendit, vt deleta hæreticorum perfidia fides Catholica in veterem dignitatem atq; amplitudinem vindicetur, cuius omnia tum belli, tum pacis ſtudia ad Dei gloriam referuntur, inque ea conſumuntur, hunc cenſet Sanctiſſimus Dominus noſter conuenire, de augenda etiam quodammodo cæleſtium gloria cogitare & poſtulare, (ſi ita videatur Romano Pontifici, cuius ea poteſtas atque actio propria eſt) vt ei viro, cui nihil fuiſſet in hac vita Deo charius, quiq; ipſe Deo chariſſimus fuiſſet; is honos tribuatur, qui poſſit maximus adhiberi, vt Pontificis ſcilicet ipſius decreto declaretur Sanctus eſſe ex eorum numero, quos Eccleſia quotidianis honoribus veneratur. Et Beati quidem illius vita, ac miracula aliquot de multis nunc ſunt diſerta & graui oratione expoſita. Agit autem Sanctiſſimus Dominus noſter Deo gratias immortales, quod tanta cum ſui nominis gloria, cum Eccleſiæ lætitia, cum piorum fructu cumulet ſeruos ſuos ſummis virtutibus, velitq. illos ſumma apud omnes in veneratione atq; admiratione eſſe. Laudatur Deus in Sanctis ſuis, ac mirabilis prædicatur: proponitur auxilium ad implorãdum, exemplum ad imitandum, ſegnities noſtra ad accuſandum, dum agnoſci-* Pſal. 150. & 67. S. Bernardus in vigil. SS. Petri & Paulı.

*mus tanto nos illis inferiores eſſe, tamq. longe ab illorum perfectione abeſſe. Sed facit rei magnitudo, vt cenſeat Sanctiſſimus Dominus noſter de Regis poſtulatione eſſe etiam atq; etiam cogitandum, cumq. ſuis fratribus deliberandum. Hortatur igitur eos monetq. vt de actis B. Didaci, quæ confecta ſunt, quamdiligentiſſime conſiderent: quodq. ipſe iampridem facit, Deum orent, e cuius vultu debent hominis iudicia prodire, vt oſtendat quid facto maxime opus ſit, actionemq. hanc omnium grauiſſimam totam dirigat ad ſuā gloriam, ſanctæq. Eccleſiæ ſuæ fructum atq; amplitudinem.*

*Pſal. 16.*

## *Aliud Conſiſtorium habetur in quo S. Didacus Canonizari decernitur. Cap. XV.*

HIs omnibus, quæ hactenus commemorata ſunt, rite celebratis, die 27. eiuſdem mēſis Iunij aliud Conſiſtorium habitum eſt, ad quod præter Gardinalium Senatum, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Rotæ Auditores, & Apoſtolici Protonotarij acciti conuenere. Romanus Pontifex Pluuiali rubeo, quod limbus auro intextus ornabat, indutus; cum mitra ſimiliter auro contexta, in pōtificio throno (ſub Baldachino ſeu vmbella,) in eminentiori loco collocato, ad quod per aliquot ſcalæ gradus aſcendebatur, conſedit. Qui miro vbiq. facto ſilentio, grauem & omni eruditione, doctrinæq. vbertate plenum ſermonem habuit, maieſtate pontificia dignum, & diuina ſapientia decoratum. Orſus vero a Pontificia dignitate, & eius in rebus fidei definiendis certitudine, & in conſtituendis quæ ad Eccleſiæ totius gubernationem pertinent firmitate atq; conſtantia; multa ex varijs Doctorum ſententijs circa Romani Pontificis auctoritatem poteſtatemq. in Sanctis canonizandis multo argumentorum pondere ediſſerens, grauiſſimum hoc eſſe negotium, & ſingulari Spiritus ſancti gratia & protectione dignū demonſtrauit. Eo ſermone (qui magna omnium attentione & animorum alacritate exceptus eſt) abſoluto, protinus Cardinales, qui frequentes aderant primum ſuo ordine ſuf-

ſragia tulerunt: tum Patriarchæ, mox Archiepiſcopi, deinde Epiſcopi; poſtremus locus Abbatibus ad dicendam ſententiam cõſtitutus erat. Qui omnes libererrimis ac concordiſsimis ſuffragijs cenſuerunt, S. Didacum ob vitæ præſtantiam, & inſignia illuſtriaq. miracula, quæ Dei virtute operatus eſt, in Sanctorum numerum adſcribendum.

Non oportuit tũc quidem ab Auditoribus Rotæ aliquid rogare, cum ſuper proceſſu nulla exorta fuerit aut excitata cõtrouerſia, quæ illorũ explicatione & induſtria indigeret. Hoc enim conſilio Auditores, potiſſimum illi ad quos iudicandi proceſſum cura mandata eſt, aduocari ſolent. *Auditores Rotæ quo conſilio in Canonizatione Sanctorum ad Cõſiſtoriũ aduocentur.*

Protonotarij vero ad fidem exhibendam circa ea decreta quæ in eo Conſiſtorio cenſentur ſolum rogandi erant; vt poſtea dicetur.

Ergo cum Pontifex conſentientibus ſuffragijs, omnes in eamdem ſententiam conſenſiſſe videret, ſtatim Canonizationem celebrare decreuit, & locum & tempus indixit.

Die igitur ſecunda menſis Iulij, quæ erat ſabbati, B. Virginis Mariæ Dei genitricis viſitationi dicata, celebrandæ canonizationi conſtituitur.

Vt vero ad Dei omnipotẽtis laudem hic Canonizationis actus fieret, Pontifex omnes admonuit, & paterna pietate hortatus eſt, vt tertia & ſexta feria ieiunarent, copioſas eleemoſynas largirentur, pias preces Deo funderent, aliaq. opera meritoria peragerent.

Confeſtim Procurator Fiſcalis Protonotarios Apoſtolicos, qui præſentes in Conſiſtorio aderant rogauit, vt de conſilio conſenſuq. Prælatorum, ac ſimiliter de Romani Pontificis decreto, in cauſa Canonizationis fidem exhiberent, eamq. vno vel pluribus publicis inſtrumentis teſtarentur: atque ita Conſiſtorium dimiſſum eſt.

Iubent ſacrorum Rituum libri, vt is qui pro canonizatione celebranda apud Sedem Apoſtolicam agit, paulo antequam illa celebretur, vigintiquinque ſcuta in eleemoſynas conferat. Sed Don Henricus de Guzman Regius apud Sedem Apoſtolicam Orator, mille in hac Canonizatione *Eleemoſynæ Catholici Regis nomine diſtributa.*

Ducatos,

Ducatos, pijs Vrbis locis Catholicæ Maieſtatis nomine, diuiſis portionibus, in eleemoſynas diſtribuit.

## *De loco in quo celebrata eſt Canonizatio, & de illius ornatu. Cap. XVI.*

AD celeberrimum Canonizationis actum peragendum, iam diu in more poſitũ eſt, vt Baſilica S. Petri Apoſtolorũ Principis in Vaticano deſignetur, vbi Canonizatio celebrari poſſit. Quãuis enim nullo iure ſancitum appareat, vt in ea Eccleſia Sãctorum canonizationes fiant, cum Romanus Pontifex in qua Eccleſia voluerit libere eam celebrare poſſit; nihilominus tum propter Eccleſiæ dignitatẽ & amplitudinem, tum propter beati Petri confeſſionem, in qua illius corpus reconditum eſt, conſentaneum viſum fuit, vt is actus in ea celebraretur.

Interim in congregatione ſacrarum cæremoniarum, cui Alphonſus Cardinalis Geſualdus præerat, de præparando ornandoq. loco diligenter agebatur.

Primo igitur amplum & perpulchrum ſuggeſtum, quod tabulatum vocant, e varijs lignis firmiſſime conſignatũ extruitur; patebat quidem centum & octo palmis in longitudinem, & quinquaginta octo in latitudinem, quod profecto iucundiſſimum præbebat aſpectum. eius vero altitudo hominis fere ſtaturam æquabat. Hoc plane totum constructum atq; ornatum erat decentiſſime pannis viridis coloris, qui in publicis locis vbi Pontifex celebrare ſolet, conſternuntur. Sed locus vbi Pontificis ſedile collocabatur, panno purpureo erat ornatus.

In ea vero ſuggeſti parte, quæ ingredientibus per maiorem Eccleſiæ S. Petri ianuam a fronte obijcitur; altare vt in eo Pontifex Miſſam celebraret conſtructum fuerat.

Tota hæc templi facies ſplendidiſſimis ſericis tapetibus, auleisq. pendentibus auro mira arte & precioſo opere contextis ornabatur.

Media

Media hac parte ornatiſſimum tapete, multo auro intertextum pendebat, in quo diuinus ille Spiritus ſancti ſuper Domini diſcipulos in die Pentecoſtes aduentus tam eleganti, ac mirabili arte expreſſus fuerat; vt plane ipſummet ignem e cœlo immiſſum ardere conſpiceres: idoneum equidem, valdeq. accomodatum Canonizationi celebrādæ monumentum.

Paululum ſupra altaris vmbellā ampliſſima Crux, (quam duæ magnæ claues ex luminibus diuerſi coloris artificioſe diſtributis confectæ mutuo amplecti videbantur, gratiſſimamq. ſpectantiū oculis imaginem exhibebant) eminebat.

Infra eam ſtragula holoſerico purpureo vndiq. ornata & amicta pendebat, qua olim Romæ ſanctiſſimi Martyres ſepeliebantur; ob quam cauſam Romæ in Eccleſia S. Petri maximo in cultu totius populi veneratione habetur.

In medio vero huius ſtragulæ ingens etiam Crux auro intexta erat, quæ plane gratam intuentium oculis ſuperiorum temporum memoriam excitabat.

Ad dextram eiuſdem altaris partem, a latere ſcilicet Euangelij, ſedes editiori in loco eminens fuerat collocata, vt Pontifex ex illuſtriori ſolio Canonizationem, & ceteras actiones & ſolemnitates ornatius perageret. Supra quā vmbella ornatiſſima pendebat, vt dignitatem loci & rei, quæ gerebatur magnitudinem oſtenderet.

In ſiniſtra parte a latere Epiſtolæ humilior altera ſedes fuerat poſita, vt in ea Pontifex ſacra myſteria celebraturus, Pontificalibus indumentis ornaretur.

In eodem ſuggeſtu ſubſellia circumquaq. auleis ornata aptiſsime collocata erāt, vt in eis Cardinales conſederent, a quorum tergo alia aderant ſedilia, in quibus Prælati, qui præſentes Canonizationi futuri erant, ſuo ordine ſederent.

Extra ſuggeſtum circumcirca totus Romanæ Vrbis clerus interfuit, qui ſuam quiſq. ceream albam candelam manu deferebat.

In ſuggeſtum tam eximio decore ornatum per aliquot gradus aſcendebatur, in quo duæ ianuæ ingredientibus pa-

tebant,

tebant, quarum vna in ſummis, altera in imis gradibus collocata erat: vtramq. militaris Pontificis cuſtodia ſeruabat, ne temere quiſq; in ſuggeſtum irrueret.

Iuxta ſuperiorem ianuam a Cardinalium tergo late patens abacus cernebatur (quem Itali Credenza, Hiſpani Apparador appellāt) in quo offertorium paratum ſuo tempore ad Pontificem afferendum, continebatur.

E tēpli tecto ſuper quattuor huius ſuggeſti angulis, quattuor perpulchra vexilla pendebāt, in quibus S. Didaci imago ſtans depicta conſpiciebatur, quæ vel leui aura facile iactabantur. In ima vexillorum parte gentilitia Pōtificis Regiſq. Catholici inſignia coloribus expreſſa auroq. ornata erant. Cum vero (vt paulo poſt dicetur,) ſolemnis proceſſio ad Eccleſiam perueniſſet, tunc quintum vexillum ceteris longe maius & ornatius, cum eadem ſancti Didaci imagine, Pontificis Regiſq. inſignibus, in medio ſuggeſti, inter cetera quattuor prima aptiſsime ſuſpenſum eſt, ita vt ornatiſsima ſpecie intuentium oculos iucundiſsime afficerent.

Tota Eccleſia magnificentiſsimo apparatu ornata, denſiſſimiſq. luminibus apto ordine collocatis, multiſq. e ſuperiori ædificij ambitu vndiq. lucentibus facibus, late fulgebat. Subter hunc accenſarum facium ordinem, circumcirca palmis aliquot patens phrygium ornatiſsimum atq; pulcherrimum ſubtili artificis manu præclare ad ſummum decorem diſtinctum, multis ſancti Didaci imaginibus, multis Pontificis, S. Petri, Regiſq. Catholici inſignibus exornatum ſitum erat; quod diuerſis & frequentibus floribus circūmueſtitū, partim ex opere topiario, partim pictura obumbratum intercolumnia exornabat, vt gratiſsimum & ſplendidiſsimum aſpectum exhiberet.

Ab hoc phrygio ditiſsima tapeta vndequaq; pendebant, ac illam potiſsimum partem vbi ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramētum aſſeruari ſolet, multa auro intertexta periſtromata, multaq. pretioſa aulea veſtiebant.

Deniq; totius Eccleſiæ apparatus adeo fuit illuſtris & ſplendidus vt lōgo interuallo (quemadmodum ex antiquis

Diarijs

Diariis facile colligi poteſt) cetera omnia magnificētiſſime in aliis Canonizationibus exhibita ornamenta ſuperaret.

Ad hunc igitur locum vt decretæ Canonizationis actus celebraretur, Romanus Pontifex ſtatuto tempore, ſolemni proceſſione comitatus, eo ordine, qui mox explicabitur, acceſſit.

## *De ſolemni Proceſſione, qua Pontifex comitatus ad celebrandam Canonizationem acceſſit.* Cap. XVII.

IGITVR ſecunda Iulij cum primum dies illuxit, Cardinales, in ſacellum Pontificium vulgo, *la Capella di Sixto*, dictum, conuenerunt, veſtimentis ſacris ornati (vt paulo poſt explicabitur.) Adfuit quoque eo loci magnus Prælatorum numerus mitris & Pluuialibus veſtiti, Pænitētiarij Baſilicæ S. Petri Planetis induti, Subdiaconi præterea, Rotæ Auditores, Accolyti, Abbreuiatores Rochettis & ſuperpelliceis amicti. Protonotarij vero cum rochettis & cappis ſolitis.

Pontifex interea per ſecretas ſcalas, quæ ad Pontificium ſacellum deducunt, aliquot Cardinalibus, Principum Oratoribus, Baronibus Romanis & Prælatis familiaribus ſuis comitatus deſcendit; vt veſtimenta ſuper Abaco ſiue Credentia pręparata indueret, videlicet, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, Pluuiale ſeu Chlamydē purpuream multo auro intextam, quæ limbo aureo effulgebat; in quo ab vna parte gentilitium Pontificis inſigne, ex altera vero inſignia Catholici Regis auro ſimiliter intexta cernebantur.

Pontifici ita vt decebat ornato, in corona Cardinalium qui tunc ante Pontificem ſtabant; Don Petrus Cardinalis Deza, quemadmodum libri Rituales præſcribunt, tres cereos obtulit; ex his maiores duos ſuperficie tenus deauratos, & inſignibus Pōtificis & Regis Catholici ornatos, quos Pontifex Oratoribus Reipublicæ Venetæ, & Ducis Sabaudiæ dedit; tertium ceteris minorem Papa ſuis manibus in proceſſione prætulit.

Hos Don Henricus de Guzman Catholicę Maieſtatis orator Pontifici tunc oblaturus erat. Ceterum quoniam paulo antea de prærogatiua prælationis (Præcedentiam vulgus appellat,)orta controuerſia, Canonizationis actum impedire videbatur; propterea Pontifex vt omnem difficultatem ac impedimenta remoueret, Petrum Cardinalem Dezam,qui Catholicę Maieſtatis perſonam in hoc actu ſuſtineret, prudentiſſime deſignauit.

His peractis, Papa Hymnum: *Aue maris ſtella.* alta voce inchoauit, quod appoſite contigiſſe viſum eſt, non ſolum propter celebrem Viſitationis ſolemnitatem, verum quia in ſimilibus Canonizationum proceſſionibus idem Hymnus decantari ſit ſolitus,tametſi nulla beatę Mariæ virginis celebritas tunc occurrat.

Dum primus hymni verſiculus cantaretur, Pontifex ſine mitra in genua prouolutus erat: ſed eo abſoluto exurgens mitram precioſam accepit, & in ſede geſtatoria conſedit, vt proceſſionem e Sixti ſacello verſus maiorem Palatij portã directam, ſequeretur.

Vniuerſus Romanæ Vrbis clerus tam ſæcularis quam Regularis,cuius erat maximus numerus & frequentia, in ampliſſimo,ac late patenti Palatij Pontificis impluuio Pontificem prodeuntem operiebatur; ſed vbi dato ſigno procedendi tempus adeſſe intellexit, per ianuam Palatij maiorem longe in plateam ſancti Petri progreſſus eſt, & in Baſilicæ porticu in forma quaſi circuli, obſeruata cæremoniarum lege, conſtitit.

Tunc Pontifex cum Cardinalibus & Prælatis quemadmodum de ſacello prodierat,ita cum ſua proceſſione deductus, ac in ſella delatus,medius inter clerum,qui ipſum auidiſſime expectabat proceſſit.

Hæc autem Põtificis proceſſio hoc ordine diſtincta erat.

Primum ſuæ Beatitudinis familia rubeis veſtibus induta antecedebat: tum Secretarij proximi, Aduocati deinde Conſiſtoriales violaceis induti ornamentis, incedebant: Poſt hos tubicines ibant, qui ingẽti tubarum clangore ſpectatorum

ctatorum animos excitabant. Proximus deinde ſequebatur Procurator generalis ordinis S.Frãciſci Obſeruantium, homo Hiſpanus,qui in Curia reſidere ſolet,Planeta albi coloris indutus,qui magnum vexillum imagine ſancti Didaci ſtantis ornatum,deferebat.Hunc quattuor eiuſdem ordinis patres Albis induti,leua dexteraq. comitabantur.Hos proxime cantores ſacelli Pontificis ſectabantur, qui hymnum: *Aue maris ſtella*, a Pontifice in ſacello inchoatum concinebant, vt animos hominum modulatis vocibus permulcerẽt, & ad diuinas laudes & deuotionem raperent. Sequebantur præterea Abbreuiatores, deinde Accolyti Apoſtolici, poſtea Rotæ Auditores, & Subdiaconi omnes ſuperpelliceis rochettisq. ornati. Sed ex Subdiaconis vnus eodem ornatu Crucem ante Pontificem deferebat: a cuius leua dexteraq. duo officiales aderant de virga rubea appellati.

Crucem Pontificiam Pænitentiarij Baſilicæ S.Petri,hos Abbates,tum Epiſcopi, poſtea Archiepiſcopi, deinde Patriarchæ,ac Prælati aſſiſtentes Põtifici Pluuialibus & mitris induti ſuo ordine ſequebantur;proxime Cardinales Diaconi Dalmaticis mitrisq. induti incedebant, tum Cardinales Presbyteri Planetis mitrisq. ornati: mox Cardinales Epiſcopi Pluuialibus & mitris induti. Poſt hos tres Cardinales Diaconi, nempe Aſcanius Columna, Sfortia & Montaltus prope Pontificem incedebant: ſed quia Cardinalis Aſcanius Euangelium in Miſſa erat cantaturus medius, Sfortia & Montaltus velut aſſiſtẽtes ſuæ Sanctitatis a leua dextraq. progrediebantur. A lateribus horum duorum Cardinalium Diaconorum, Orator Reipublicæ Venetæ, & Orator Ducis Sabaudiæ proceſſionem comitabantur, qui duos illos magnos cereos,quos de manu Pontificis in ſacello Pontificio acceperant, accenſos deferebant.

Tandem Pontifex in ſede illa geſtatoria hominum humeris ſub Baldachino ſeu vmbella ſublimis deferebatur.

Baldachinũ vero aliquot Principũ Oratores & Barones Romani detulerũt, qui inuicẽ alijs ſuccedẽtibus mutabantur; ſequebantur poſtea duo Cubicularij Pontifici aſſiſten-

tes, inter quos medius incedebat Seraphinus Oliuarius Razzalius Rotæ Vicedecanus, qui loco Decani Rotæ tunc abſentis, Mitram cum Papæ detrahitur, excepturus erat. Poſtremo Protonotarij Apoſtolici induti ſicut paulo antea dictum eſt, ſequebantur, & infinita prope nobilium hominum multitudo.

A leua dexteraq. Pontificis & Cardinalium lente & decore procedentium, militaris Heluetiorum cuſtodia, & leuis armaturæ milites equis inſidentes præſto aderant, vt hominum turbam ſubmouerent.

Pontifex, Cardinales, Prælati, clerus ſæcularis & Regularis & quicunque ad ſolemnem hanc proceſſionem acciti fuerant, quorum erat prope innumera multitudo, cereos albos accenſos, maiores ac minores pro ordinum & hominum qualitate, manibus deferebant, quos miniſtri Catholici Regis, quo interpellante Canonizatio celebrabatur, liberaliſſime diſtribuerant.

## *Pontifex ad locum Canonizationi deſtinatum peruenit, & Canonizatiô ſolemni ritu tandem celebratur. Cap. XVIII.*

HOc ordine pompaq. ſolemni, cum ad porticum Baſilicæ ſancti Petri Pontifex perueniſſet, a Canonicis totoq. eius Eccleſiæ capitulo dulciſſimo ac elegantiſſimo muſicorum concentu exceptus eſt. Sed ingreſſus Eccleſiam ſuggeſtum aſcẽdit, ſuper Faldiſtorium ornate paratum in genua & pectus ad altare oraturus procubuit. Mox ad Sedem excelſam in eminenti loco a dextris altaris collocatam conſcẽdit, in qua dum paululum ſederet, confeſtim Cardinales omnes de more, ceteriq. prælati obedientiam detulerunt.

Debito vero obedientiæ munere abſoluto, Franciſcus Mocantes Magiſter cæremoniarum Pontificis, Don Petrũ Cardinalem Dezam aduocauit. Qui protinus cum Pompeio Arigonio Conſiſtoriali Aduocato ad Pontificem in ſede eminenti ſedentem acceſſit, exhibitaq; reuerentia conſueta,

ta,ſtante Cardinale, Aduocatus poſitis humi genibus ſupplex primo rogauit ac poſtulauit Regio nomine(vulgus,primam facere inſtantiam dicit,) vt Canonizatio B. Didaci fieret,his verbis:

*BEATISSIME PATER,*

*Cardinalis de Deza hic præſens nomine Catholicæ Maieſtatis Philippi Hiſpaniarum Regis,inſtanter petit,per Sanctitatem veſtram pronunciari beatum Didacum Compluten. ordinis Minorum ſancti Franciſci catalogo Sanctorum D.N.* IESV CHRISTI *adſcribendum & tamquam Sãctum venerandum ab omnibus Chriſtifidelibus.*

Primæ huic petitioni Antonius Boccapadulius Secretarius Pontificis nomine ſuæ Sanctitatis ita reſpondit:

*QVod ſummis precibus Catholicus Hiſpaniarum Rex Philippus tum a ſuperioribus Pontificibus,tum a Sanctiſſimo D.N: Sixto V. poſtulauit,poſtulatq. hodierno die,vt beatus Didacus Apoſtolica auctoritate in Sanctorum Catalogum adſcribatur; id facere ſemper iudicauit Sanctiſſimus D. N. eſſe ſua ſponte maximum, omnium exiſtimatione ampliſſimum, cultu & religione perpetuum. Antecedere vero oportere tria quædam ſumma, eius qui hoc tanto honore dignus declaretur,Fidei ſinceritatem cum ſingulari quodam zelo coniunctam,Miraculorum perſpicuitatem, Vitæ ſanctitatem, hoc eſt,perfectam virtutum omnium comprehenſionem. Hæc igitur ſecum reputans voluit Sanctiſſimus D.Noſter his omnibus de rebus quamdiligentiſſime cognoſci,quid, quo loco, quo tempore, quibus teſtibus factum diceretur,conſiderari: Fratres ſuos S. R. E. Cardinales,ceteroſq. Antiſtites,re etiam cum viris doctiſſimis & rerum cognoſcendarũ iudicandarumq. peritiſſimis cõmunicata, ſententiam dicere voluit: Ipſe deniq. omnia beati Didaci vitæ ac miraculorum acta perlegere, accuratiſſimeq. examinare:totam vero rem diuino in primis præſidio muniendam eſſe exiſtimauit. Ergo ante illa omnia multum ac ſepe Deum precatus eſt,vt vellet tum ſibi adeſſe, tum ceteris quos in Conſilium adhiberet, vniuerſam actionem gubernare.*

*Vbi*

*Vbi compertum eſt tandem ea quæ de beato Didaco ferebãtur, quæq. ad hanc cauſam maxime pertinebant vera eſſe, & multis teſtimonÿs confirmata, egit continuo & ſuo & beati Didaci & Regis Catholici & vtriuſq. tum militantis, tum triumphantis Eccleſiæ nomine gratias diuinæ bonitati, quod voluerit multas maximasq. res per ſe potiſſimum agi vno tẽpore Beatum illum hoc gaudio cumulari, ſummo ac pietatis pleno Regis deſiderio ſatisfieri, ad Catholicam religionem hoc etiam incrementum accedere, Beati huius opem, implorantium fidem Apoſtolica auctoritate munitam, certiorem eſſe, fru-*
Mar. 2. Iac. 2. *ctum præſentiorem (quid enim non impetret firma fides, ac pia & ſine vlla hæſitatione precatio?) cæleſtem denique Hieruſalem matrem noſtram, noſtra in primis cauſa, hac noua etiam lætitia exultare, quod dum Sanctorum ex hac vita diſceſſum publico honore proſequimur, facile ſeſe oſtendat (modo ſapienter id faciamus) noſtra fides & cha-*
Orige. lib. 2. in Iob. *ritas. Illis enim laborum, dolorum, ærumnarum finem, bonorumq. omnium adeptionem, perpetuamq. poſſeſſionem gratulamur. Noſtrum vero ipſi animum ac vitam ſimilem exitum optantes precantesq.*
S. Chryſoſt. de continentia in Ioſeph tomo 1. *illorum cogitatione confirmamus. Etenim ſi pleriq. in gymnicis certaminibus, athletarum plauſu & lauro commoti ſeſe exuerunt, ſeq. multo cum ſudore cædi & contundi (modo vincerent) gloriæ loco duxerunt, ac ne ingemuerunt quidem vt lauri ſcilicet & oleæ ramum referrent: quanta cum alacritate oportet nos labores omnes ſubire & perferre, propoſita illorum patientia & virtute, quos ſempiterna gloria redimitos credimus & veneramur? Hoc igitur tam multarum tamq. præſtantium rerum ſtudio adductus, hac charitate incenſus huc ſe contulit Pater Sanctiſſimus, quæ reſtant cupidiſſime confe-*
Iac. 5. *cturus. Sed vt illud veriſſime dictum eſt: Multum valet iuſti deprecatio aſſidua: ſic cupit omnes vna ſecũ orare, vt meritis ac precibus beatiſſimæ Virginis Mariæ, cuius hodierno die Viſitatio celebratur, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ad quorum corpora hæc peraguntur, beati Franciſci in cuius ordine beatus Didacus eluxit, Beatorum omnium cuius cultus augetur, velit Deus & Dominus noſter actionem hanc ſuæ gloriæ cauſa ſuſceptam, ſua ope amplecti & fouere.*

His habitis, Cardinalis Deza receſſit. Pontifex ex ſede eminenti deſcendens ad Faldiſtorium poſitis genibus

cum mitra oraturus acceſſit. Interim Litaniæ in choro decantatæ ſunt. Quibus abſolutis Papa ad ſedem eminentiorem eſt reuerſus.

Iterum Magiſter Cæremoniarum Cardinalem Dezam aduocauit, qui per eundem Aduocatum iterum dicendo; *Inſtanter* & *inſtantius* pro Canonizatione peragẽda ſummo pere ſupplicauit; tunc vero idem Secretarius Boccapadulius in hæc verba reſpondit:

*Summa rei grauitas facit, vt cenſeat Sanctiſſimus D. N. eſſe etiam atque etiam implorandam opem & gratiam Spiritus ſancti, Spiritus conſilij & ſapientiæ, qui nos monet, mouet, edocet, ſicque illuſtrat & ducit, vt nullo nos loco errare, aut hærere patiatur.*

Quibus dictis iterum Papa ex ſede eminentiori deſcendens, ad Faldiſtorium vna cum mitra oraturus proceſſit.

Tum Cardinalis Sfortia Diaconus a dextro Pontificis latere ad populum conuerſus, alta voce dixit: *Orate*. illico Pontifici fuit mitra detracta, ceteriq. prælati eam depoſuerunt; & genibus humi poſitis, ſecreto vna cum Pontifice magna deuotione orauerunt, donec Cardinalis Montaltus Diaconus, a ſiniſtro Pontificis latere, alta voce pronunciauit: *Leuate*. Mox Papa & ceteri ab oratione conſurgunt. Prælati vero aſſiſtentes librum ad Pontificem ante Faldiſtorium ſtantem deferunt; ex quo Papa hymnum, *Veni Creator Spiritus*, inchoauit, & iterum in genua procumbens, quod etiam ceteri Prælati effecerunt, tandiu genuflexi perſtiterunt, donec primus verſiculus expleretur. Tunc conſurgens Pontifex, ſuſcepta mitra ad ſedem eminentem reuertitur, ceteris interim ſtantibus. Hymno expleto, Cantores verſiculum, *Emitte Spiritum tuum*, &c. concinerunt. Et Pontifex orationem: *Deus qui corda fidelium*, &c. recitauit.

Qua peracta Cardinalis Deza tertio, cum eodem Aduocato Canonizationem peragi & abſolui dicendo: *Inſtanter*, *inſtantius* & *inſtantiſſime*, ſupplicauit.

Ad hæc Boccapadulius Secretarius his breuibus verbis reſpondit:

*Poſtquam ita placere credit Sanctiſſimus D. N. diuinæ bonitati,*

*decreuit Beatum Didacum virum & vitæ ſanctitate, & miraculorum virtute clariſſimum in Sanctorum catalogo adſcribere.*

His omnibus rite ſeruatis, & ſolemniter actis, Prælati Pontifici aſſiſtentes, librum de more ad ſuam Sanctitatem attulerunt.

Tunc Pontifex in ſede illa eminentiori, de qua ſæpe dixi, id eſt, in ſolio Pontificio, vt grauiſſimum illud & maximum negotium perageret, mitra indutus ſedens, tandem B. Didacum Sanctum & Sanctorum catalago adſcribendum diffiniuit atque decreuit, vt in Diplomate canonizationis narratur his verbis:

*Demum cum iam nihil omnino ex his, quæ a maioribus pie ſanctéq. ſunt hoc de genere inſtituta eſſet prætermiſſum, imo potius matura deliberatio ſummaq. diligentia abundantius adhibita, Inuocato ſancto creatore Spiritu, cuius conſilio & ſapientia ſancta Eccleſia columna & firmamentum veritatis regitur, eiuſq. numen ſæpe a nobis ex intimo corde multis etiam lachrymis imploratum præſens adeſſe non dubitantes:*

*Ad honorem Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti, ad exultationem ſupernæ & triumphantis Hieruſalē matris noſtræ, ad exaltationem fidei Catholicæ & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate eiuſdem Sanctæ Trinitatis Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, omnium Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia exiſtentium cōſilio & vnanimi conſenſu, Beatū Fratrem Didacū de Sancto Nicolao Prouinciæ Bæthicæ Hiſpanum, ordinem Minorum Sancti Franciſci expreſſe profeſſum, ſepultumq. Compluti in Eccleſia Fratrum eiuſdem ordinis, de cuius fidei puritate, excellentia vitæ, & miraculorum in vita & poſt mortem claritate nobis pleniſſime conſtat, in Sāctorum Confeſſorum numerum & catalogum adſcribendum eſſe decreuimus & adſcripſimus, prout per præſentes decernimus & adſcribimus: Eumque vt Sanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus: ſtatuentes vt ab vniuerſali Eccleſia anno quolibet die xij. Nouembris Feſtum ipſius & Officium ſicuti pro vno Sancto Cōfeſſore tantum, ad formam in Rubricis Breuiarij præſcriptam, deuote celebretur*

*bretur, quodq. in eius honorem Eccleſiæ & altaria in quibus Deo ſacrificia offerantur erigi & fundari poßint. Eademq. auctoritate omnibus vere pænitentibus & confeßis, qui ſingulis annis eodem die feſto ſupradictã Eccleſiam oppidi Compluten. Toletanæ diœceſis, vbi ipſius corpus requieſcit, necnon altaria & Eccleſias, quæ in eius honorem conſtructæ erunt, deuote viſitauerint, eaſdem Indulgentias, priuilegia & gratias conceßimus & elargiti ſumus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ ceteris dicti ordinis Sanctorum Eccleſiis conceſſæ ſunt.*

Dum hæc ſententia pronuntiaretur, Deza Cardinalis ante Pontificem ſtabat, Arigonius vero Aduocatus humi genua poſuerat.

Sententiam ergo prolatam nomine Catholicæ Maieſtatis acceptans, gratiarumq. actiones agens, litteras Apoſtolicas ſuper Canonizatione, his verbis per Aduocatum decerni petiuit:

*BEATISSIME PATER,*

IDem *Reuerendißimus Cardinalis de Deza hic præſens, nomine Catholicæ Maieſtatis acceptat pronuntiationem per Sanctitatem veſtram factam, & ei immortales gratias agit, ac eodem nomine ſupplicat, vt Sãctitas veſtra dignetur decernere litteras Apoſtolicas ſuper hac canonizatione facta.*

Mox Pontifex facto manu Crucis ſigno, more ſolito benedicendo dixit: *Decernimus.* Eodem temporis momento Aduocatus ad præſentes Protonotarios Notarioſq. conuerſus, eius rei fidem ac teſtimonium eos exhibere rogauit his verbis:

*Rogantur etiam omnes & ſinguli Protonotarij, alijq. notarij hic præſentes, vt ſuper huiuſmodi ſolemnis Canonizationis actu, conficiant vnum vel plura, publicum ſeu publica inſtrumentum vel inſtrumenta, ad perpetuam rei memoriam.*

Tunc organa, campanæ, tubæq. varios magnoſq. lætitiæ & gratulationis ſonitus edidere, & bombardæ ceteraq́. id genus bellica inſtrumenta, quæ in plateam ſancti Petri paulo antea ea de cauſa fuerant deducta, & quæ ad præſi-

dium Arcis ſeu molis Hadriani, cui Caſtelli Sancti Angeli nomen eſt, aſſeruantur; immiſſo igne, vehementiſſimis exploſionibus reboabant, vt cælum ipſum tonare, tota vero Vrbs ingenti fragore concuti videretur.

Sed omnes tunc lætitia & ſpiritualibus gaudijs vehementiſſime affecti, immenſas omnipotenti Deo gratias egerunt, quod his temporibus Sanctos canonizari, & nouos ciues in cęlo declarari, & apud Deum proponi interceſſores & deprecatores cernerent.

Peracta iam canonizatione, Pontifex Hymnum: *Te Deum laudamus*. alta voce inchoauit: quem cantores vſq. ad finem miro vocum concentu proſecuti ſunt. Eo finito Sfortia Diaconus Cardinalis a latere Pontificis dextro verſiculum Sancti recenter canonizati cantauit.

℣. *Ora pro nobis B. Didace.*

Mox Cantores reſponderunt.

℟. *Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.*

Confeſtim Papa alta voce propriam S. Didaci orationem ſequentem videlicet pronunciauit.

*Oratio.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui diſpoſitione mirabili infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: concede propitius humilitati noſtræ, vt piis B. Didaci Confeſſoris tui precibus ad perennem in cælis gloriam ſublimari mereatur.

Poſthæc Cardinalis Aſcanius Columna Diaconus, qui Euangelium erat cantaturus, alta voce: *Confiteor Deo.* decantauit; & poſt Apoſtolos Petrum & Paulum, *S. Didacum*, nuper Canonizatum nominauit. Pontifex ſimiliter cum abſolutionem de more proferret, poſt eoſdem Apoſtolos ſanctū *Didacum* inuocauit.

*Abſolu-*

## *Abſoluta Canonizatione ſolemnis Miſſa a Pontifice celebratur, fitq. debito ritu Offertorium. Cap. XIX.*

ERGO celeberrimo iam Canonizationis actu, mirabili ordine & ritu, vt dictum eſt, peracto; Pontifex relicta ſede illa eminētiori, ad alteram paulo inferiorem in ſiniſtra altaris parte collocatam acceſsit; vt inde neceſſaria ad Miſſam celebrandam ornamenta deſumeret.

Interim dū illis induitur, Tertia hora canonica cātata eſt.

Sed Pontifex longe pretioſiſsimis & ditiſsimis veſtibus preclaro opere & artificio ornatiſsimis, vt paulo poſt dicetur indutus, Miſſam inchoauit, quæ de feſto Viſitationis beatę Mariæ Virginis, cum commemoratione *S. Didaci* nuper canonizati more ſolito celebrata eſt.

Ceterum dum Papa in eodem Pontificio ſolio Offertorij verba recitaret, ordine longe pulcherrimo, & in Canonizationum ritu ſeruari ſolito, dona, quæ diſpoſita erant Offertorij cauſa, ita ad Pontificem deferuntur.

Quattuor primum Cardinales Marcus Antonius Colūna vt Epiſcopus, Alexandrinus vt presbyter, Matthæius tāquam diaconus, qui Canonizationis fuerant iudices Commiſſarij, & Cardinalis Deza vt deputatus nomine Regis Catholici (vt ſupra dictum eſt) ad abacum illum ſiue Credētiam, (quam ſupra in eodem ſuggeſto paratum diximus) vt res ad offerendum Pontifici diſpoſitas acciperent, cum primariis ſuis familiaribus accedunt, & ad Pontificem in eminenti vt diximus loco ſedentem deferunt.

Primum Cardinalis Columna duos prægrandes cereos, illis qui in Proceſsione ab Oratoribus Veneto & Ducis Sabaudiæ delati fuerant, multo maiores, imagine ſancti Didaci & inſignibus Pontificis & Regis Catholici, alijſq. picturis elegantiſsimis ornatos, Romano Pontifici obtulit; hac quidem cæremonia, vt ſingulos dum offerret oſcularetur, cum vero illos Pontifex tangeret, cum manu, genuq. Pontificis dextro oſculato, veneraretur.

Cardinalis Deza eadem prorſus cæremonia ſeruata, primo cereum vnum, mox vero caniſtrum exiguum deauratum, in quo duæ erant viuæ turtures, obtulit.

Deinde Cardinalis Alexandrinus duos prægrandes panes, alterum inauratum cum inſignibus Pontificis, alterum argenti bractea ornatum, & inſignibus Regis Catholici depictum, obtulit.

Iterum Deza ſtatim poſt Alexandrinum cereum alterum, & caniſtellum alterum deargentatum obtulit, quod duas albas viuaſq. columbas continebat.

Cardinalis vero Mathęius eodem prorſus modo, duo vinaria vaſa, inauratum vnum, deargentatum alterũ obtulit; ſed in fundo vaſculi cęlati auro Põtificis, in fundo alterius, Regis Catholici inſignia ornate & eleganter depicta erãt.

Mox Cardinalis Deza tertio obtulit tertium cereum & tertium Caniſtellum varijs ac diſtinctis coloribus depictũ, vbi diuerſi generis auiculæ reticulo inclusæ continebantur. Quæ dum caniſtellum offerretur, & præſens cęremoniarum Magiſter reticulum quo exitus prohibebatur, abſcinderet, huc atque illuc celerrimis pennis euolarunt.

His rite peractis, ſinguli Cardinales Commiſſarij, Columna ſcilicet, Alexandrinus & Mathæius, cum primum dona Pontifici obtulerunt, ad ſuum quiſque ſubſellium reuerſus eſt: ſolus tamen remanebat Cardinalis Deza, qui plus ceteris erat oblaturus. Qui denique ſuo munere perfunctus, ad ſuum reuerſus eſt locum.

Offertorio peracto, Miſſa eſt ſuo ordine celebrata, cum Commemoratione, Oratione, Secreta, & Poſtcommunione proprijs S. Didaci nuper Canonizati.

Orationem paulo antea recenſuimus, cetera nunc ſunt exhibenda.

*Secreta.*

HAEC hoſtia, quæſumus Domine, quam in ſancti Didaci Confeſſoris tui ſolemnitate offerimus, ipſo etiam intercedente, & vincula noſtrę prauita-

prauitatis abſoluat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet. Per Dominum noſtrum.

*Poſtcommunio.*

DEus qui familiam tuam his ſacrificijs purgatam Beati Didaci Confeſſoris tui celebritate lętificas: concede quæſumus, vt eius humilitatis & patientiæ imitetur veſtigia, & ad gaudia perueniat ſempiterna. Per Dominum noſtrum.

Solemni Miſſę ſacrificio peracto, Ioannes Antonius Cardinalis Sancti Georgij Epiſcopus Portuenſis, tamquam primus Epiſcopus pręſens, & Miſſę celebrationi aſſiſtẽs; plenariam Indulgentiã, quam omnibus tũc præſentibus Põtifex liberaliter indulſerat, eiuſdẽ Pontificis nomine publicauit.

His omnibus rite peractis, Papa ad conſuetam aulam, vbi paramenta deponeret, eſt reuerſus; & Cardinales, & Prælatos cum benedictione dimiſit.

Fuit equidem valde mirabile, quodque facile omnium hominum mentem cogitationemque ſuperauit; eo tempore, quo ſuggeſtum extrui & ornari cœpit, innumerabilem totius Vrbis non ſolum ciuium, ſed peregrinorum multitudinem in Eccleſiam ſancti Petri conueniſſe: ac pridie potiſſimum illius diei, quo Canonizatio fuerat celebrãda, & ipſo in primis Canonizationis die maximo animorũ ſtudio confluxiſſe, vt omnes viæ, quæ ad Vaticanum deducunt, confertiſsimę eſſent. Nec mirum, cum fere vllus eo tempore in Vrbe viueret, qui alicuius iam pridem celebratæ Canonizationis recordaretur: cũ ab Hadriano Sexto Pont. Max. (qui anno Domini MDXXIII. die Dominico in die feſto ſanctiſsimę Trinitatis, qui fuit xxx. Maij, S. Bennonem Epiſcopum Miſnenſem, & Sanctum Antoninum Archiepiſcopum Florentinũ ſolemni ritu canonizauit) vſq; ad hæc Sixti Quinti tempora, nullus Romanus Pontifex quemquam Sanctum eo honore dignum affecerit, & catalogo Sanctorum adſcripſerit.

*Hadrianus VI. duos eo dẽ die Sanctos canonizauit.*

De

## *De ornamentis & veſtibus ſacris, quæ ad Canonizationem ſancti Didaci celebrandam iuſſa ſunt fieri. Cap. XX.*

SIngularem & eximium hunc Canonizationis actum ditiſſimis & pretioſiſſimis ornamentis peragi oportebat; qualia vero ea fuerint, in lectoris gratiam breuiter hoc loco enumerabo.

Catholicæ igitur Maieſtatis impenſis cum ob piam eius interceſſionem & aſſiduam poſtulationem ſanctus Didacus Canonizaretur, facta ſunt ſequentia ornamenta.

Primum vt altare ornaretur elegantiſſime ex tela pretioſiſſima eminentiori auro diſtincta, quam Itali Granitam dicunt pulcherrima, nec conſuetæ magnitudinis vmbella, quam Itali Baldachinum, Hiſpani Doſel vocant, facta fuit: ex qua pãniculi ſeu lanciniæ numero triginta quattuor debita proportione diuiſæ vndequaq. pendebant, quæ ſancti Didaci imaginibus, & ſancti Petri & Sixti Pontificis, & Regis Catholici, tum vexilli Romanæ Eccleſiæ, ſeu Confalonis nſignibus mira arte depictis ornabantur. ſed peracto Canonizationis actu, Baldachinum illud ſeu vmbella, Eccleſiæ ſancti Petri, quoniam ita in cõſuetudine poſitum eſt, relictum fuit.

Pallium præterea inſignis magnitudinis, vt totum altaris frontiſpicium ornaret (Frontal Hiſpani appellãt) ex eadem aurea tela Granita, quod aureus circũdabat limbus, confectum eſt, in cuius medio S. Didaci effigies erat, ab vno latere Sixti Pontificis, ab altero Regis Catholici inſignia auro argentoq. intexta erant.

Duo librorum integumenta ex eadem tela, auro puſulato intexta, quorum extremitates limbus fimbris villoſis ornatus circumducebat.

Puluinar quod Miſſali ſupponitur, ex eadem tela aurea ſplendeſcenti, cuius extremitatem limbus aureus ornabat globulis aureis ac floccis ſericis auro diſtinctis.

Burſa ſatis ampla iuxta ſacelli Pontificis conſuetudinem

nem,ad corporalia includenda ex eadem tela aurea granita limbo,ſeu paſamaneo ſimiliter auro circumducta fimbris ornata aureis,& Cruce auro intexta.

Operimentum plutei lignei ad Euangelium cantandum, totum ex eadem aurea tela,quod limbo circumductum,ſerico & auro commiſtum erat;vbi S.Didaci imago,& Sixti Pō tificis,& Regis Catholici inſignia acu depicta cernebantur.

Faldiſtorij integumentum ex eadem tela aurea granita limbo aureo circumornatum cum imagine S.Didaci & inſignibus Pontificis & Regis Catholici.

*Faldiſtorium vero communi voce nominatur ſubſellium, ſuper quo Papa oraturus recumbit.*

Duo item prægrandia puluinaria, quorum alterum ſuperponitur Faldiſtorio,& ſuper eo Pontifex orans, recumbit;alterum etiam grande,quamuis non ita late patens, ſuper quo Papa oraturus genuflectit;vtrumq. ex eadem aurea tela auro intextum, limbis aureis,globulis, floccisq. longis multo ſerico & auro intextis ornatum; primum illud ſuper quo Papa recubuit imagine S.Didaci & hinc & inde Pontificis & Catholici Regis inſignibus ornabatur.

## De ornamentis Miniſtrorum.

PLVVIALE (Cappam clerus Hiſpanus appellat)quo indutus erat Cardinalis Epiſcopus Pontifici aſsiſtens,ex eadem pretioſa aureaq. tela auri eminentioris, quæ Granita dicitur,cuius extremitatem limbus multo intextus auro circumdabat,& vncinis & fibulis argenteis nectebatur.

Capitiū Pluuialis multo quoq; auro ornatum & intextū erat; in cuius medio S.Didaci imago artificioſe phrygioq. opere expreſſa erat. In duabus vero imis extremitatibus Pluuialis,hinc & inde inſignia Sixti Pontificis & Regis Catholici multo quoque auro intexta cernebantur.

Dalmatica vna,& vna Tunicella ex eadem aurea tela,& ornamentis,quæ Itali Paſſamani vocant aureis, eleganter ſplen-

ſplendebat, flocci item aurei.

Stola vna, Manipuliq. duo veſtibus accommodate reſpondebant, in quorum poſteriori parte ſancti Didaci imago cernebatur, & hincinde, ſicut ſupra ſæpe dictum fuit, Pontificis & Regis Catholici acu picta inſignia in extremis veſtium pendebant.

His Cardinalis Diaconus qui Euangelium, & Subdiaconus Apoſtolicus qui Epiſtolā legit, induti & ornati fuerunt.

Item Dalmatica altera, & Tunicella altera ex ſimplici tela aurea, quamuis non minoris eſſet valoris aut precij, quā altera.

Hoc tamen conſilio diuerſo opere a prioribus diſtincta fuere, vt miniſtri ornatu diſtincti cernerentur. His enim induti Diaconus & Subdiaconus, alter Euangelium Græce, alter Græce Epiſtolam more ſacelli Pontificij, qui ſeruari Pontifice celebrante ſolet, cantauerunt. Quibus eadem quoq. quæ primis illis, tam imaginis S. Didaci, quam ceterarum rerum acceſſerunt ornamenta.

## Ornamenta Pontificis.

OMNIA Pontificalia indumenta tanto muneri neceſſaria pretioſo opere ſunt confecta, nempe caligæ ex ſerico albo aureo limbo circumductæ.

Calcei ſiue Sandalia ex aurea tela, quibus Cruces ex auro adiectæ erant.

Gremiale ex eadem aurea tela, cuius medium Crux multo auro intexta ornabat, aureis fimbris hinc inde pendentibus.

Dalmatica vna, vnaq. Tunicella albæ holoſericæ, limbiſq. aureis circumdatæ.

Planeta quoq. cum Stola, & duo Manipuli ex eadem tela auro eminentiore fulgente, quam Granitam vocant.

Limbus hæc circūdabat multo intextus auro; auroq. intexta ornamenta extremitates decorabant; in imis poſte-

rioribu

rioribus limbi partibus S. Didaci effigies, & ſub illa inſignia Pōtificis Regiſq. Catholici acu picta & expreſſa erāt.

Pluuiale item ſeu pontificium Mantum ex aurea tela filis ſericeis coloris rubei diſcriminata confectum eſt;cui limbus ex altera ditiſsima aurea tela adiectus (quem vulgus Paſſamanum vocat)illud mirifice decorabat. Tres præterea vnci & fibulæ ex ſolido ei hærebant auro. Item Stola ex eadem tela qua Pluuiale,cui cruces auro intextæ docta artificis manu adiectæ erant.

Hoc tam auguſto & auro rigenti Manto,Pontifex in Proceſsione totoq. Canonizationis actu vſus fuit.

## *De Cardinalium ac ceterorum Prælatorum, qui Canonizationi interfuerunt,ingenti numero. Cap. XXI.*

CARDINALES, qui Canonizationi celebrandæ interfuerūt,& eorum nomina ex Litteris Canonizationis Sixti V. quæ in fine huius libelli apponuntur,facile agnoſci poterunt, vt propterea non ſit neceſſarium eorum nomina hoc loco repetere.

Canonizationi quoq. quadraginta fere Archiepiſcopi & Epiſcopi interfuerunt; ex aliis vero ordinibus Prælatorū tam frequens affuit copia, vt facile dinumerari nō poſſent. Id quod celeberrimo actui eximium attulit etiam ſplendorem, & ſingulare quidem ornamentum.

## *De Altari ſupra quo Pontifex in ipſo Canonizationis die Miſſam celebrauit, quod peracta Canonizatione cum pio Indulgentiarum theſauro ad Regem Catholicum tranſmiſſum eſt. Cap. XXII.*

QVo die celebrata eſt Canonizatio, nouum Altare conſtructum ac ſuper ſuggeſtum illud, de quo paulo antea diximus, conſtitutum eſt, vt in eo

Pontifex ſacra myſteria perageret. totum vero erat ex nuce contignatum, cuius longitudo ad ſexdecim & amplius, latitudo ad quinque palmos acceſſerat. Præterea ſex columellis ex eodem ligno artificioſe confectis, quarum extrema erant inaurata, Altare fulciebatur. In ipſo Altaris frontiſpicio in eodem ligno grandiuſculis quibuſdam litteris inſculptus & auro ornatus hic titulus legebatur:

*Altare in quo celebrauit Sixtus V. in Canonizatione ſancti Didaci ordinis Minorum ſancti Franciſci, quæ facta fuit Romæ in Baſilica ſancti Petri principis Apoſtolorum, Sexto nonas Iulij, anno Domini* M D L X X X V I I I. *Pontificatus ſui anno Quarto, inſtante Potentiſſimo & Inuictiſſimo Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico.*

Super hoc Altare alterum altare portatile quadratum longitudinis latitudinisq. duorum Palmorum adiectum erat, ex fortiſſimo quodam lapide Africano varij coloris exciſum, in cuius ſepulchro nonnullæ ſancti Lucæ Euangeliſtæ, & ſancti Felicis Papæ & Martyris reliquiæ incluſæ fuerant.

Ex præſcripto ſacrorum Ritualium & antiqua conſuetudine, Canonizatione & Miſſa peracta, vtrumq. Altare Canonicis ſancti Petri relinquendum fuerat. illi tamen benigne & alacriter Don Henrico de Guzman Catholicæ Maieſtatis Oratori dono dederunt, vt ad Catholicam Maieſtatem in Hiſpaniam tranſmittendum curaret.

Sed cum hoc altare ad Regem deducendum foret, Sixtus V. Pont. Max. ei multas ſacras Indulgentias contulit, certis ac ſtatutis diebus, quibuſdam etiam ſacris viris vt in eo celebrare poſſent, facultatem conceſſit: quemadmodum in Apoſtolico ſequenti Decreto continetur.

SIXTVS

# SIXTVS PAPA QVINTVS
## Ad perpetuam rei memoriam.

*INTER multa diuinæ clementiæ munera, quibus Deus ipſe, qui diues eſt in miſericordia, Eccleſiam ſuam in miſerationibus coronat; & hoc quoque merito connumerandum eſſe exiſtimamus, quod his proximis diebus B. Didacus Hiſpanus ex ordine Fratrum Minorum ſancti Franciſci admirabili vitæ ſanctitate, & miraculorum ſplendore illuſtris, per officium ſeruitutis noſtræ in Sanctorum Chriſti Confeſſorum numerum eſt relatus. Quod pium & religioſum munus in Baſilica principis Apoſtolorum, ex maiorum inſtituto ſacris ritibus, & cæremonijs adhibitis, in magna venerabilium Fratrum noſtrorum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, totiuſq. cleri & Populi frequentia tam ſolemniter & deuote actum eſt, vt omnes Dominum magnificarent; ſpiritus vero noſter in Deo ſalutari noſtro incredibiliter exultaret: quemadmodum litteris noſtris de eiuſdem B. Didaci canonizatione confectis ſub Datum Romæ die ſecunda Iulij Anno IIII. noſtri Pontificatus copioſius explicatur. Et quoniam chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus pro ſua perpetua & eximia quadã erga B. Didacum deuotione, diuturno & perſeueranti ſtudio ab hac Apoſtolica Sede, ſuperioribuſq. Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & demum à nobis ipſis inſtantiſſime poſtulauit, vt B. Didacus in Sanctorum catalogo adſcriberetur. Nos ad eiuſdem Regis ſpiritalem conſolationem, paternæque noſtræ erga eum beneuolentiæ teſtificationem, illud ipſum Altare, in quo eodem B. Didaci canonizationis die, nos ipſi Pontificalem Miſſam de Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Viſitatione, cum S. Didaci Confeſſoris propria commemoratione ritu maxime ſolemni celebrauimus, ad eumdem Regem in Hiſpaniam aſportandum, transferendumq. mandauimus, vt Rex, quem licet corpore abſentem, pro eius tamen, quam hactenus experti ſumus Religione, ſpiritu præſentem fuiſſe pie credimus, noſtri publicique gaudij diei illius, ipſe quoque partem aliquam oculis haurire poſſit. Cupientes autem ad omnipotentis Dei gloriam, & S. Didaci memoriam, animarumq. ædificationem, vt idem altare tanto illuſtrius &*

 *diutur-*

*diuturnius rei geſtæ celebritatem repræſentet, quanto religioſius fuerit aſſeruatum: ipſeq. de cetero Miſſas in eo celebrandi vſus, & ſacrarum Indulgentiarum ſalutaris conceſſio & fidelium deuotionem excitet, & ſacra præteriti recordatio facti eorum corda magis commoueat: recogitantes præterea non ſolum ſacrorum Canonum decreta, quæ Altari in quo Epiſcopus Miſſam celebrauerit, eam reuerentiam haberi volunt, vt non in eo ſtatim alter celebret, niſi prius petita & impetrata licentia: conſiderantes quoque, quod ex vetuſtiſſimo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matris & Magiſtræ ritu, ſacraque maiorum traditione, in ſacroſancto Altari Lateranenſi, ipſiuſq. Vaticanæ Baſilicæ, aliarumque Patriarchalium Vrbis Eccleſiarum Altaribus nemini, præter Romanum Pontificem, diuina Myſteria celebrare licet: etſi eiuſdem S. R. E. Cardinalibus, illud interdum permittitur: non tamen niſi ex peculiari noſtra & pro tempore Romani Pontificis diſpenſatione. Ob eas cauſas Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine interdicimus & prohibemus, ne quis Presbyter, aut Sacerdos etiam Epiſcopali, aut maiori dignitate præfulgens auctoritate propria in Altari ſupradicto, quod S. Didaci appellari, & in Capella Regia, aut aliqua Eccleſia ab ipſo Catholico Rege deligenda, decenter collocari volumus, Miſſas celebret, niſi quibus à nobis certis tantum ſtatiſq. diebus permiſſum eſt. Concedimus vero & facultatem tribuimus in primis, vt quiuis S. R. E. Cardinalis, ſiue Epiſcopus, ſiue Presbyter, deinde alij Antiſtites, nempe Patriarchali, Archiepiſcopali & Epiſcopali dignitate præditi, tum ſinguli Abbates, Mitræ tamen & baculi vſum habentes; ij quoque, qui in Cathedralibus, vel Metropolitanis Eccleſiis maiores poſt Pontificalem dignitates obtinuerint, miniſter Generalis ordinis Minorum ſancti Patris Franciſci, ac Prior Monaſterij S. Laurētij, quod dicitur l'Eſcurial, Toletan. Diœceſis tantum, in Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac glorioſiſſimæ Virginis eius Genitricis Mariæ feſtiuitatibus, quinta etiam feria in Cœna Domini, ac celebritatis omnium Sanctorum, ipſiuſq. S. Didaci Natali Die, in dicto Altari Miſſas, vt dictum eſt, valeāt celebrare: Regi vero & Regio ſanguine genitis vtriuſq. ſexus perſonis, qui quolibet eorundem dierum Miſsis in dicto Altari celebrandis deuote interfuerint, centum Annos, & totidem quadrage-*

*dragenas de iniunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pænitentijs relaxamus: ſi vero corde contriti & ore confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, & pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, Hæreſum extirpatione, ac Principum Chriſtianorum concordi vnione Deum orauerint; quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus: alijs autem itidem contritis, confeſſis & ſacra Communione refectis centum Annos, & totidem quadragenas: reliquis vero quinquaginta Annos de iniunctis, eis vel alias quomodolibet debitis pænitentijs in forma Eccleſiæ conſueta ſimiliter relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis, quas ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium Indulgentiarum reuocationibus, limitationibus, ſuſpenſionibus, quibuſcunque illa concepta fuerint formulis, niſi certa & indiuidua noſtrarum litterarum habita mentione, minime comprehendi volumus: ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas & repoſitas, & plenarie reintegratas eſſe & cenſeri decernimus, Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & Cathedralium, & quarumcumque aliarum Eccleſiarum etiam iuramento, cõfirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die xx. Auguſti, An. M.D.LXXXVIII. Pontificatus noſtri Anno Quarto.*

Tho.Thom.Gualterutius.

*A Tergo locus † Annuli Piſcatoris.*

SAN-

# S.^MI D. N. D. SIXTI PAPAE V.

## DECRETALES LITTERAE

*Quibus Sanctus Didacus de Sancto Nicolao Prouinciæ Bethicæ Hiſpanus, ordinem Minorum Sancti Franciſci expreſſe profeſſus, in Sanctorum Confeſſorum numerum & catalogum adſcribitur; ac inſuper decernitur, vt ab vniuerſali Eccleſia vti Sanctus colatur; illiuſque feſtum anno quolibet die xij. Nouembris, & Officium ſicuti pro vno Confeſſore tantum ad formam in Rubricis Romani Breuiarij præſcriptam deuote celebretur, cum Indulgentiarum elargitione.*

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS
*1.Tim.5 6.* Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

*Apoc. 19.* *Pſal.73.* REX Regum ante omnia ſæcula Chri
*Luc.15.* ſtus Dominus, qui propter perditi ſa
*Phil. 2.* lutem hominis, forma ſerui accepta,
*Gal. 4.* in plenitudine temporis factus eſt ho
*Eph.1.* mo; Eccleſiam ſuam vnice dilectam,
*Cant.2.* *Act.20.* ſuoq; pretioſo ſanguine acquiſitam,
ſupra Beatiſſimũ Apoſtolorum prin-
*Matt. 16.* cipem Petrum, cui petræ firmiratem
*Eph.2.* dedit, in ſe ipſo ſummo angulari lapide a Chriſtianæ fidei
*Matt. vlt.* primordijs ædificauit, & vſque ad ſæculi conſummationem
*1.Cor.2.3* per omnes temporum ætates mirabiliter ſemper ædificat.
*Ephes.2.* Diuinum vero admirabilis huius ædificationis artificium,
*Iac.3.* nec inflata mundi ſapientia capit, nec terrena & carnalis
*2.Cor.1.* *Rom. 8.* prudentia vllo modo aſſequitur, Diaboli autem aſtutia &
*Iac.2.* ſuperbia contremiſcit; Nimirum quemadmodum ex pau-

peribus & contemptis plerumque hominibus,humili & obſcuro loco natis,nullis artibus, nulla eloquentia inſtructis, nullo deniq; humanæ potentiæ præſidio communitis, tanquam ex abiectis & reprobatis lapidibus, tanta fiat moles, tam pulchra, tam ornata, tam fortis,tam ſtabilis,in tantam demum conſurgat altitudinem, vt ipſæ inferorũ portæ eius robur, ac firmamentum perhorreſcant. Sed viæ Dei non ſunt viæ hominum,nec cogitationes eius ſicut cogitationes eorum. Itaque non multi ſapientes ſecundum carnem,non multi potentes,non multi nobiles: Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia eligit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Sic omnipotens Deus per ſcandalum Crucis, & per ſtultitiam prædicationis ſaluos fecit credentes; ſic ab ipſis naſcentis Eccleſiæ initijs per ſapientem Apoſtolorum infantiam, & per fortiſſimam Martyrum infirmitatem Græcorum ſapientiam infatuauit, & gentium potentiam deiecit, atque proſtrauit: ſic denique per ſuccedentes ætates brachio fortitudinis ſuæ depoſuit potentes de ſede,& exaltauit humiles Sanctos ſuos. Hinc ſuperiori ſæculo, & patrum noſtrorum memoriæ valde propinquo,ex humili familia Fratrum Minorum Sancti Patris noſtri Franciſci humilem Beatum Didacum, in Hiſpania natum, non doctrina præcellentem; ſed quales primi illi noſtri Magiſtri & Principes fuerunt ſine litteris humano ſtudio comparatis, ſed idiotam, & in Sancta Religionis profeſſione laicum, delegit: in quo oſtenderet abundãtes diuitias gratiæ ſuæ: cuius admirabili vitæ ſanctitate, & exemplo multos ad viam ſalutis perduceret, & ſeneſcentem,ac pene decrepitum Mundum magis magiſque coargueret: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Itaq; pater miſericordiarum Deus, qui facit mirabilia magna ſolus, hunc ſeruũ ſuum paruulũ, & demiſſum cæleſtibus donis ſuis adeo ornauit, tantoque Spiritus ſancti igne incendit, manumq. ſuam ad ſanitates, & ſi-

*Pſal. 117. Act. 4. 1. Pet. 2. Matt. 16. Iſa. 55. 1. Cor. 1. Gal. 5. 1. Cor. 1. 1. Cor. 2. 2. Cor. 11. 1. Cor. 1. Iſa. 62. Luc. 1. Act. 4. Eph. 2. 1. Cor. 1. 2. Cor. 1. Pſal. 135. Act. 4.*

& ſigna,& prodigia B. Didaci meritis,cum in eius vita,tum
poſt mortem efficienda, tam mirifice extendit, vt is non ſo-
lum apud ſuos in florentiſsimis Hiſpaniæ Regnis notus &
clarus eſſet,ſed apud exteros etiam eius nomen magna cum
*Pſal.*114. gloria peruulgaretur. Iuſtus enim & miſericors Dominus
*Ephe.*1. ſeruos ſuos fideles, quos ante Mundi conſtitutionem ele-
git, & prædeſtinauit ad vitam, non ſolum in Cælo ſemper
2.*Tim.*4. coronat, ſed ſæpe etiam in Terra, vbi fortiter & legitime
1.*Pet.*5. certauerunt, multo gloriæ ſplendore cumulat, atque illu-
ſtrat: Nimirum, vt præclaras illas ſuas promiſsiones per-
*Soph. vlt.* ſoluat: Dabo vos (inquit) nominatos & in gloriam, & in
*Pſal.*6. laudem in cunctis Populis Terræ; vt ſe ipſe in Sanctis ſuis
*Pſal.*105. mirabilem demonſtret, & potentiam ſuam ſignis & virtuti-
*Act.* 2. & 8. bus declaret; vt propoſitis Sanctorum glorioſis laboribus,
& meritis, qui homines fuerunt nobis ſimiles, circundati in-
*Heb.*5. firmitate, ſegnitiem, & tarditatem noſtram in via virtutis
*Act.* 14. excitet, & frigeſcentem charitatem accendat; vt hæretico-
*Matt.* 24. rum prauitatem coerceat, peruerſitatem confundat, dum
ad ſacras eorum Reliquias, diuina virtute ægroti curan-
*Apoc.*14. tur, Dæmones pelluntur; vt mortuos, qui in Domino ſunt
mortui, beatos eſſe, & multo felicius viuere omnes intelli-
gant. Poſtremo, vt amici Dei multo maxime honorentur,
*Pſal.*138. & qui Sancti ſunt apud Deum, Sancti etiam ab hominibus
habeantur; ad quorum nos opem confugientes, eoſque pie
inuocantes, eorum ſuffragijs adiuti cæleſtem miſericordiā
facilius impetremus. Merito igitur B. Didacum laudamus,
quem Deus multis & illuſtribus oſtendit miraculis prædi-
candum; de cuius Beati viri vita & rebus geſtis, puriſsimæ
fidei integritate, morum excellenti ſanctitate, ſignorum
admirabilitate pauca quædam libenter pro noſtro Paſto-
*Pſal.*150. rali officio populo Dei proponimus, vt laudetur Deus in
Sancto ſuo, & fidelium deuotio tamquam ſalutari quodam
& periucundo cibo nutriatur, omneſque Deo gratias agāt,
publico noſtro & huius Sanctæ Apoſtolicæ ſedis teſtimo-
nio, quæ a Spiritu ſancto gubernatur & regitur, B. Didaci
ſanctitatem optimo iure declaratam eſſe, & promulgatam.

Natus

Natus eſt B. Didacus in Hiſpania in Prouincia Bethica, & in Oppido, cui nomen eſt S. Nicolaus de Portu, quod eſt in diœceſi Hiſpalenſi. Et is quidem vt fœcundus ager cæleſtis gratiæ imbre irrigatus vberes fructus citò protulit. Nam adoleſcens ex medio Babylonis fugiens, hoc eſt ex laqueis & periculis ſæculi, pænitẽtis habitu indutus in propinquam ſolitariam Eccleſiam vna cum pio quodam ſacerdote ſpiritalis vitæ duce & ſocio ſeceſſit, vbi nouus Chriſti miles in huius fallacis Mundi contemptione, & omnium humanarum rerum deſpicientia, in cæleſtium contemplatione, in corpore edomando, & ſpiritui ſubijciendo ſe aſſidue exercens, magna cum ſuorum oppidanorum ædificatione præclarum Tyrocinium poſuit. Poſt aliquot vero annos, vt ſe arctioribus vinculis Chriſto adſtringeret, & a Mũdi tempeſtatibus, quam longiſſime diſcederet, & ſub ſuaui obedientiæ iugo Deo ſecurius & fructuoſius ſeruiret, in portum Seraphicæ Sancti Franciſci Religionis confugit, eamq. prope Cordubam in Conuentu de Arrizafa, vt vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de Obſeruantia nominantur, incolunt, verbis expreſſis eſt profeſſus. Hic iam Athleta Chriſti ampliſſimum virtutum ſtadium ingreſſus, tamquam obliuiſcens quæ retro erant, & ad ea quæ ſunt priora ſe extendens, cœpit omni contentione corporis & ſpiritus perſequi (diuina gratia ſuffragante) brauium ſupernæ vocationis. Summa cura, & diligentia in Regulæ obſeruatione verſabatur, quam in omni vita ſancte adeo inuiolateq. ſeruauit, vt ipſe in cunctis Religioſis functionibus & officijs viuens, quædam & expreſſa regula eſſe videretur. In primis verò, quia ſapientiſſimus Architectus Spiritus ſanctus, ſublime regularis perfectionis ædificium in eo extruebat, altiſſimum humilitatis fundamentũ iecit, & vt prudens ille ædificator in Euangelio laudatus, fodit in altum, & ædificauit domum ſuper petram, nihil ſibi tribuens: nulli ſe anteponens: quo plura a Deo accipiebat, eo demiſſius ſe gerens. Itaque nullæ tentationum procellæ, nulli ſuperbiæ & inanis gloriæ venti, nullæ Diaboli machinationes do-

*Heb. 6. Iſa. 48. Ierem. 50. 1. Cor. 9. Thren. 3. Matt. 11. 1. Cor. 9. Philip. 3. 1. Cor. 3. Luc. 6. Matt. 7.*

mum illam tam egregie fundatam mouere, aut labefactare
*Luc. 6.* potuerunt. Superiorum & Prælatorum mandata & iuſſa
*Heb. vlt.* tanta obedientia, tantaque alacritate exequebatur, ac ſi
*Luc. 10.* Deum in eis loquentem audiuiſſet. Sanctam paupertatem Domini ſui ſponſam chariſſimam, quam diligentiſſime cu-
*Philip. 3.* ſtodiebat, omnia arbitratus vt ſtercora, vt Chriſtum lucri-
*2. Cor. 2.* faceret. Cumque Satanæ aſtutias non ignoraret, ſed optime intelligeret infenſiſſimum humani generis aduerſariũ, tamquam Leonem rabidum, & rugientem dies noctesq. cir
*Pſal. 21.* cuire, vt Chriſti ouiculas dilaceret, ac deuoret; numquam
*1. Pet. 5.* otio, aut torpori ſe dabat, ſed ſtabat ſuccinctus lumbos ſuos in veritate, indutus loricam iuſtitiæ, galea ſalutis aſſumpta,
*Eph. 6.* & ſcuto fidei arrepto, in quo omnia poſſet ignita nequiſſimi hoſtis tela extinguere. Corpus igitur & carnem ſuam illecebram peccati labore, ieiunijs fere continuis & flagellis caſtigabat, & in ſeruitutem redigebat: præcipue vero ad ex-
*1. Cor. 9.* celſam illam Arcem confugiebat, qua nulla fortior, nulla munitior, hoc eſt ad ſanctæ Orationis præſidium, cuius alis in Cælum frequenter ſublatus, terrenorum oblitus, ſuauiſſimo Dei colloquio fruebatur. In ea igitur ſchola diuinitus eruditus vir alioqui plane rudis, & litterarum minime ſciens, admirandum in modum de rebus diuinis loquebatur, ſenſuſq. mirificos proferebat, ita vt viri eruditiſſimi, qui in Sacræ Theologię ſtudijs ætatem cõtriuerant, ſummopere obſtupeſcerent: illudque memoriæ traditum eſt, & graui teſtimonio comprobatum, doctos & pios viros cum abſtruſas & perdifficiles quæſtiones ad res diuinas, animarumque ſalutem pertinentes cum eo familiariter communicarent, id ab homine litterarum experte cumulate didiciſſe, quod in celeberrimis Academijs a magnis Doctoribus addiſcere nequiuerant. Ille præterea Orationis fructus erat vberri-
*Pſal. 20.* mus, quod iam in benedictionibus dulcedinis præuentus,
*Pſal. 22.* & calicem illum præclarum, qui cor inebriat delibans, ardentis charitatis igne erga Deum & proximos toto pectore
*1. Tim. 2.* æſtuabat: quare bonorum omnium auctorem Deum, & Beatiſſimam Dei Genitricem ſemper Virginem humani generis Ad-

ris Aduocatam, quam ſumma deuotione ſemper coluit, nō pro ſe ſolo, ſed pro omnibus hominibus, & præſertim pro peccatorum emendatione continenter, vehementiſſimeq. orabat; pauperes vero Ieſu Chriſti tanto affectu diligebat, tantaque erga eos miſericordia commouebatur, vt omni ſtudio (quantum ei licebat) eorum inopiam, & calamitates ſubleuare ſedulo procuraret: quod ſi interdum præſtare nō poſſet, vim lacrymarum profundebat, eoſque verbis amantiſſimis conſolabatur; ægrotos fratres omnibus charitatis officijs proſequebatur, aſſidere ad lectum, cibum miniſtrare, vigilare totas noctes, perferre omnes moleſtias, tanta patientia, tanta humilitate, vt quorumdam purulentas plagas non ſolum medicamentis curare, ſed lingua quoq; eas lambere & abſtergere nō abhorreret: quo in genere eximia ſerui Dei charitas Romæ aliquando in Cœnobio Fratrum ſuorum, quod eſt ad Aram cæli, inſigniter eluxit. Nam anno quinquageſimo ſuperioris ſæculi, cum piæ mem. Nicolaus Papa V. prędeceſſor noſter Sacrum Iubilęum de more celebraret, Romam venit B. Didacus, vt ſalutarem Indulgentiam conſequeretur, & Beatorum Apoſtolorum ſepulchra, ceterorumque Sanctorum Martyrum illuſtres memorias religioſe veneraretur. magna erat annonæ inopia, grauibus & periculoſis morbis Vrbs laborabat, cum B. Didacus ægrotis curandis, quorum ingens erat numerus, a Guardiano, ſeu Cœnobij Præfecto, qui iam eius ſanctitatem deguſtauerat, eſt prępoſitus; cuius officij munus, tam fideliter, feliciterque adminiſtrauit, vt in publicis anguſtijs omnia apud pauperes Chriſti abundarent, omneſque in ſeruo Dei, & copioſum charitatis ſpiritum, & ſingularem illius apud Deum gratiam agnoſcerent. Nec ſane mirandum eſt, *1. Cor. 6.* virum Dei membris Chriſti Fratribus ſuis, in quibus Chri- *2. Cor. 13.* ſtus ipſe ægrotabat, tanto charitatis ſtudio inſeruiſſe, tam impigre miniſtraſſe, qui eo iam perfectionis progreſſus erat, vt charitatem illam, qua nemo maiorem habet, ſponſo ani- *Io. 15.* mæ ſuæ præſtare, & perſoluere concupiſceret, & pro Chriſti nomine & confeſſione vitam & ſanguinem profundere de-

ſideraret. Ea nimirum eſt perfecti amoris vis & natura, vt non facile conquieſcat, ſed maiora ſemper & maxima appetat, & moliatur, ſemperq. actuoſus & operoſus ſit. Itaq; cum aliquando ad inſulas Canarias miſſus eſſet, vt Guardiani officio in illo Fratrum Minorum Conuentu fungeretur, ſeruus Christi, cui viuere Chriſtus erat, & mori lucrum, cœpit Martyrij deſiderio vehementer flagrare. Erat in eo non ſolum columbæ ſimplicitas, ſed & ſerpentis prudentia, quare multa cum vigilantia, & regularis diſciplinæ obſeruantia vir Dei in ſua cuſtodia excubabat, in omni ſanctitate & iuſtitia forma factus puſilli gregis ſui, & fidelium Inſulanorum, quibus bonus odor Chriſti erat ad vitam, ita vt frequentes eum adirent, ex eiuſque ſpiritalibus colloquijs miram caperent conſolationem & voluptatem. Magnam vero exercendæ charitatis ſegetem in Inſulis illis nactus, ſimulque conſequendi Martyrij ſpe incitatus, multos ex Canarienſibus infideles, & impuris adhuc Idolorum ſuperſtitionibus addictos, verbo, exemplo, orationibus ad Chriſti fidem perduxit: quo in munere dum ſtrenue verſaretur, multa illi pericula in ea Canaria, quæ magna appellatur, diaboli inuidia conflauit; ſæpe in capitis & vitæ diſcrimen venit, vt ſeſe iam Martyrij palmam potiturum ſperaret; ſed Deo aliter diſponente, non Martyrio animus & voluntas, ſed voluntati Martyrium defuit; at certe gloria non defuit, cum præclare a Beato Martyre Cypriano ſcriptum ſit, ad coronam Dei promerendam ipſius teſtimonium ſolum ſufficere, qui iudicaturus eſt, qui arcana renum ſcrutatur, & cordis intuetur occulta. Ergo & purpuream de paſſione coronam aliquo modo accepit, & multas de bonis operibus candidas reportauit, reſeruatus a Deo, vt multos Chriſto lucrifaceret. Iam enim in vniuerſa Hiſpania clariſſimum erat B. Didaci nomen, magnamque apud omnes & venerationem & admirationem habebat, & tãquam Angelum quendam in Terris agentem ſic eum homines intuebantur: nihil illo lenius, nihil mãſuetius: lac & mel ſub lingua eius, & cor eius mũdum & ſimplex Chriſtiana dulcedine redundabat:

*Philip. 1. Matt. 10. Habac. 2. Luc. 1. 1. Pet. 5. Luc. 12. 2. Cor. 2. S. Cypr. Ep. 9. Pſal. 7. 1. Cor. 9. Cant. 4. Pſal. 50. Matth. 5.*

omnia

omnia in bonam partem accipere: de nemine male iudicare: nullum aduerſus aliquem verbum acerbius immittere: Si quem vero contra legem Dei, & regularem diſciplinam peccantem animaduerteret, zelo Dei incenſus, libere obiurgabat, nulla tamen in re gloriam ſuam, ſed Dei honorem & fraternam vtilitatem quærebat. Signis etiam & miraculis viuentem ſeruum ſuum illuſtrauit Deus, eiuſq. excellentem fidem rebus mirabilibus efficiendis multipliciter patefecit. Elucebat in eo ſingularis gratia curationum, ita vt vndique ad eum eius rei cauſa quamplurimi confluerent: ille vero fide, quæ per Dei dilectionem mirifica operatur, in Domino roboratus, cum digitum in lampadem, quæ ante Sacram Beatiſſimæ Virginis imaginem collucebat, demiſiſſet, ex eius oleo ægrotos ſigno Crucis obſignatos perungebat, multorumq. varios languores & morbos eiuſdem Crucis virtute, in qua ſola gloriabatur, mirabiliter ſanabat.

*Pſal. 68.* *Io.2.& 8.* *1.Cor.12.* *Galat.5.* *Mar.6.* *Gala.6.*

Accidit aliquando, vt e cœnobio, in quo erat, ad oppidũ Sancti Lucæ de Barameda proficiſceretur, fratre vno comite, cumq. nullis cibariis acceptis iam ſumendi cibi tempus adueniſſet, & ex itinere defeſſi eſſent, nec in proximo vico quidquam, quo ex aliena miſericordia reficerentur, Deo ita diſponente, reperire potuiſſent, ad comitem ſereno vultu conuerſus B. Didacus: Eia, inquit, frater in Domino confidamus, ipſe nos paſcet. cum iter ſtrenue proſequerentur, ecce in perampla planitie candidam mappam inter herbas prope viam poſitam vident, propiusq. accedentes album panem, piſces recentes coctos, & vini vaſculum inueniunt: inſiſtunt ſerui Dei, & in latiſsimo campo vnde in omnes partes liber erat proſpectus, omnia oculis perluſtrantes circumſpiciunt, ſi quis forte eo in loco prandium reliquiſſet, deniq. id, quod erat, rati, ad menſam ſibi a Deo in deſerto paratã veri Iſraelitæ accumbunt, ac cibo & potione ſiti fameq. depulſa, quod ſuperfuit, ibidem liquerunt, Deo patri miſericordiarum gratias agentes, qui ſeruis ſuis in eo ſperantibus eſcam dederat in tempore opportuno.

*Exod. 16.* *Pſal. 77.* *Pſal. 144.*

Quid,

Quid,illud quod Hiſpali geſtum eſt, quam magnæ fidei eſt argumentum? Nam cum ſeptennis puer, qui a matre vapulare ſolitus erat, in furno, in quem eius iracundiam fugiens ſe abdiderat, obdormiſſet, & furno ab ignara matre ſuccenſo expergefactus clamaret,vir Dei exanimatam matrem,eiulatu omnia complentem, nec quo ſe verteret ſcientem, ad maiorem Eccleſiam ire, ibiq. Matrem miſericordiarum deuote orare iuſſit:ipſa te,inquit, o mulier adiuuabit:cum illa,quaſi Dei nuncium audiuiſſet,pergeret,ipſe ad furnum accedens puerum ex maximo periculo extractum paulo poſt ad idem templum adduxit, matriq. ſuę ſaluum & incolumem reddidit.

Ceterum cum iuſtus Iudex Deus Athletam ſuum tot vi-
*2. Tim.4.* ctoriis illuſtrem,carne,mundo,diabolo per Dei gratiam deuicto,corona iuſtitiæ, quæ illi ab omni æternitate repoſita erat,coronare decreuiſſet, ſeruumq. multiplicatis talentis
*Matt. 25.* induſtrium,& in pauca fidelem ſupra multa conſtituere, & in gaudium vellet Domini ſui introducere, B. Didacus in
*Gene. 25.* ſenectute bona,plenus dierum, & operum bonorum in conuentu Complutenſi,in quo annos complures eſt commoratus,in ſupremum morbum incidit,in quo incredibilis patientiæ exemplum præbuit. Quadam autem nocte extra ſe raptus, ſenſu omni & vitali motu amiſſo, ita vt a Medico, & qui adſtabant,fratribus,mortuus plane crederetur, tandem ſoluta ecſtaſi ter, aut quater hæc verba locutus eſt: *O quales flores habet Paradiſus.* In profundæ vero humilitatis ſtatione,vſque ad extremum vitæ ſpiritum ſeruanda, ita firmus manebat, ita nuſquam de ſuo loco decedebat, vt cum fratres ſinguli ab eo peterent,vt pro ipſis oraret, ipſe contra ſe eorum orationibus vehementer commendabat, vt ipſis pro eo Deum orantibus, bonorum operum fructus, quem illi in ſanctæ Religionis obſeruantia cumulauerant, ſibi quoque a Deo communicaretur, atque ita miſericordiam impetraret. Poſtremo cum ſe iam moriturum intelligeret, comitis illius,& adiutricis fideliſſimæ,quæ illum in huius vitæ peregrinatione numquam deſeruerat, hoc eſt ſanctæ pau-

pertatis ſupremo vitæ die non oblitus, ſed in eius intimo ſinu, quammaxime fieri poſſet, ſpiritum emittere cupiens, conuocatis Fratribus, eos obnixe rogauit, vt ſibi veſtem obſoletam & laceram, habitumq. omnium viliſſimum, in quo moreretur, concederent: quo impetrato, multis profuſis lacrymis ab his, qui adſtabant, offenſionum atque erratorum veniam poſtulauit, quibus copioſe collacrymātibus, ipſe Cruce lignea, quam ad caput habebat, arrepta, eamq. amplexus & oſculatus, vtroque brachio in altum fortiter ſublato (cum tamen alterum graui apoſtemate tumens, ac debilitatum antea mouere non potuiſſet) oculiſque in vitale ſignum defixis, verba illa ex ſacro Hymno magno affectu, magnoque pietatis ſpiritu pronunciauit: *Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorum, & Dominum.* quæ cum dixiſſet, in ipſo ſalutiferæ Crucis complexu, quam vnice dilexerat, quam in corde & corpore ſemper geſtauerat, in qua Chriſto confixus, & mundo crucifixus fuerat, animam efflauit, & in Domino obdormiuit, pridie Idus Nouembris, Anno Domini, MCCCCLXIII. *1. Cor. 6. Gal. 2. et 6 Act. 7.*

Ad eius corpus (B. Didaci morte audita) magni vndiq. concurſus facti, illud deuote omnes contingere, amictus particulas præſcindere, capillos deuotionis cauſa euellere: demum Chriſtiano ritu corpus honorifice humatum eſt. Hic iam ſtatim Deus mortui ſerui ſui, cui in vita cooperatus furrat, eximiam ſanctitatem ſignis ſequentibus comprobauit. Nam corpus, quod iam quatriduo humi ſepultum fuerat, iterum non abſq. miraculi interuentu, effoſſum, non ſolum integrum, incorruptumq. apparuit, ſed cum per multos menſes, vt pio ſtudio ſatisfieret, & ciuium & aliorum, qui ex diuerſis partibus accurrebant, inſepultum iacuiſſet, non computruit, nullum tetrum odorem emiſit: Imo vero corpus illud, quod viuens Spiritus ſancti templum fuerat, odorem ſuauiſſimum afflabat, quo omnes mirifice recreabantur; qui quidem & in hodiernum vſque diem ex eius ſepulchro ſuauiter & iucunde ſpirans a pleriſq; ſæpe ſentitur. *Mar. vlt.* *1. Cor. 3. & 6. 2. Cor. 6.*

Illud

Illud quoque in beati Viri mortuo corpore mirum acceſſit, quod eius membra & artus vitali calore deſtituti non obriguerunt, nec duri aut rigidi ſunt effecti, vt cadauerum ſolẽt, ſed molles erant & flexibiles quocũque verterentur. Quocirca laudanda eſt pietas & magnificentia cla. me. Henrici IIII. Caſtellæ Regis, qui vna cum filia perículoſe ægrotans, & B. Didaci precibus ſanitate impetrata, nobile ſacellum grati animi ſui monumentum extruxit, ibiq. in Arca ferreis laminis diligenter communita B. Didaci corpus decenter recondi iuſſit: ad quod quidem ſacellum, vt conſtat, non ſolum Complutenſes ciues, ſed vicini & remotiores Populi, atque ex omni fere Hiſpania fideles tanta deuotione confluunt, tam multi Beati illius viri opem apud Deum implorant, tot ibi vigiliæ fiunt, tot ſacrificia in eodem eius ſacello celebrantur, tam multa & illuſtria dona voti reddendi gratia offeruntur, vt hæc de B. Didaci ſanctitate non exigui temporis tamquam rumoris aura, ſed per annos centum viginti & amplius conſtans & perpetua fama & opinio, tantusq. illorum fidelium omnium generum, omnium ordinum conſenſus magni profecto, & illuſtris teſtimonij loco habendus ſit ad beati Didaci ſanctimoniam comprobandam.

Verumtamen multis quoque poſt obitum miraculis vir commemorabili ſanctitate prædìtus claruit. Nam in actis tranſmiſſis centum fere & triginta leguntur, Deo, qui glo-
*Pſal.* 88. rificatur in Concilio Sanctorum, ſignis & prodigiis teſtante, ſeruum ſuum non ſolum morum, ſed etiam ſignorum
*Act.* 14. virtute, nec operibus modo pietatis in vita, ſed etiam miraculorum luce poſt mortem clarum & venerabilem eſſe.

Duron oppidum eſt in Hiſpania in Diœceſi Seguntina, ex eo Catharina Martini filia virgo annos duodecim nata cum ante aliquot menſes ſubita vi morbi ſurda & muta eua ſiſſet, brachiis item pedibusq. paralyſi diſſolutis incedere nequiret, ad B. Didaci ſacellũ delata cum ibi peruigilaret, eius tacta manu, & in Crucis formam conſignata illico & aurium ſenſum, & loquẽdi facultatem recepit, membrorũq.

vſu reſtituto, totoq. corpore cōfirmato libere qua libuit inceſſit, laudans & benedicens Deum.

Adoleſcens quidam erat annorum fere viginti Didacus de Lorca appellatus, filius Petri Gonzales viri nobilis, qui Deo permittente, ab immundo ſpiritu annos complures vexabatur miſerandum in modum, ita vt ſæpius interdum in die arreptus, & ad terram alliſus, horribiles corporis geſtus ageret, & veluti mortuus relinqueretur. hic ſe B. Didaco humiliter commendans, & in eius ſacello aliquandiu inuigilans a miſerabili vexatione omnino eſt liberatus.

Cum Catharina Bartholomæi Sanchez vxor, expleto ad pariendum tempore, parere non poſſet: Fœtus enim in vtero tranſuerſus alterum tantummodo pedem eduxerat, materque miſera ab aurora ad veſperam in eo cruciatu permanens, in ſummo vitæ diſcrimine verſaretur, & plane morti propinqua eſſet, ſocrus eius Maria Garzia vxor Ioan. Garziæ Incolę oppidi de Ambroz beati Viri in maximis anguſtiis recordata, ad eius opem confugit; itaque fruſtū amictus B. Didaci, parumq. pulueris e ſepulchro ſupra parturiētem nurum impoſuit, quæ ſubito mortuum fœtum edidit ipſa ſalua. Manſit autem mortua puellula aliquot horarum ſpatio, ſed eiuſdem auia Maria iam ſemel beati Viri opem in matre experta, eum pro neptis vita tanto fidentius orare non dubitauit: quod cum deuote feciſſet, alterum etiam beneficium impetrauit, & puella ſacro Baptiſmi fonte abluta, & geminæ vitæ munere a Deo donata diu poſtea ſuperuixit.

Illud autem quod in Maria della Peñuela Petri Hernandez Complutenſis filia, Dei virtute, per merita B. Didaci mirifice effectum eſt, notum & valde peruulgatum in Hiſpania, multiq., qui meminerint, ſuperſunt. Inuaſerat virginem horribilis & deformiſſima paralyſis, tanta neruorum diſſolutione & membrorum luxatione, brachiis, cruribusq. diſtortis, totoq. corpore cōuulſo, vt non iam Mulier, ſed Monſtrum eſſet, & Medici ſe nihil vnquam tale vidiſſe profiterentur. accedebant febres vehementes, & capitis do-

lores peracres & aſſidui, quibus miſera grauiſſime afflicta-batur. ea igitur ad B. Didaci corpus delata, cum in eius interceſſione & Dei miſericordia confideret, & ſuppliciter oraret, voti compos, ab omni illa membrorum diſtortione & deprauatione, omniq. corporis infirmitate eſt liberata, quæ tanti accepti beneficij non ingrata Deo Virginitatem ſuam vouit, & ſacrarum Virginum collegio adiuncta in Monaſterio S. Ioannis, quod A pænitentia nominatur, ſancte & religioſe vitam duxit.

Sed quod in Principe Carolo chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici primogenito filio diuinitus actum eſt, magnam apud omnes famæ celebritatem habet. Aegrotabat Compluti adoleſcens Princeps annō humanæ ſalutis M D L X I I. qui cum e ſcalis decidiſſet, grauiſſimum ex eo caſu & prolapſione in capite vulnus acceperat. omnia remedia, omnes curationes adhibitæ, quę humana induſtria præſtari poterant, vt in tãto Principe par erat: ſed cum nihil humanum proficeret, morbusq. magis ſemper ingraueſceret, iamque eius grauitati natura ſuccumberet, Medici Principis ſalute prorſus deſperata, certam imminentis mortis horam præfiniunt, idq. Regi patri, ne tam acerbo ſpectaculo intereſſet, denunciant. Cum igitur omnis humani adiumẽti ſpes defeciſſet, ad diuinum, quod vnum reliquum erat, præſidium confugiunt. Itaque deuotionis ardore ſuccenſi a Fratribus ſuis beati Didaci corpus decenter & religioſe in Principis cubiculum afferri curant; poſt annos fere centum integrum & incorruptum: quod cum Princeps beati Viri patrocinio ſe commendans deuote tetigiſſet, eo inde amoto, vidit in ſomni quiete B. Didacum ante lectum ſtantem, & Crucem arundineam manu gerentem, ſeq. admonentem bono animo vt eſſet, & in Deo confideret; fore enim vt ex ea ægrotatione ſanus fieret. Quare eo potiſſimum tempore, quo Medici Principem moriturum prædixerant, non ſolum melius habere cœpit, ſed
*Exod.* 8. paulo poſt ex omni illo vitæ diſcrimine diuinis, ac ſupra na
*Luc.* 12. turam adiumentis tam mirabiliter eſt ereptus, vt digitum

Dei

Dei per merita B. Didaci ibi adfuiſſe omnes intelligerent: Sed præter ceteros Princeps ipſe & Philippus pater, incredibili lætitia tamquam rediuiui filij affectus, id agnoſcere, & Deum glorificando palam profiteri.

Itaque pius Rex cum chariſſimi & primogeniti filij vitã, ſummæ Dei clementiæ per merita & preces beati Didaci ferret acceptam, cuperetq. quacumque ratione poſſet gratiam aliquam Deo in Sancto ſuo referre, anno inſequenti ad fel. rec. Pium IIII. prædeceſſorem noſtrum, vna cum Principe filio, & cuncta fere Hiſpania litteras dedit, quibus ab eo ſuppliciter petebat, vt pro ſua, & ſanctæ huius Apoſtolicæ Sedis ſumma auctoritate beatum Didacum tam excellenti ſanctitate Virum, & tanta miraculorum claritate illuſtrem in Sanctorum numerum referre vellet, atque ab vniuerſa Catholica Eccleſia pro Sancto venerandũ eſſe ſtatueret. Tam deuotis, iteratisq. Catholici Regis, aliorumq. poſtulationibus permotus idem Pius prædeceſſor, de ijs in Cõſiſtorio ſuo ſecreto referri iuſſit, & quinque Cardinales conſilio & doctrina præſtantes delegit, qui eiuſmodi permagni momenti negotio præeſſent, inter quos vnus fuit Cardinalis Alexandrinus, cuius memoria in benedictione eſt, qui *Eccl. 46.* poſtea Pontifex factus, Pius eius nominis V. eſt appellatus. Res ſuo ordine agi cœpta eſt ſub Pio IIII. litteris in Hiſpaniã trãſmiſſis ad teſtes ex formula examinandos, actaq. rite conficienda. Cumq. ipſe Pius IIII. e vita migraſſet, non deſtitit idem Philippus Rex apud ſuccedẽtes Põtifices ſanctæ recor. Pium V. & Gregorium XIII. itidem prædeceſſores noſtros ſedulo inſtare: ſed Deo ita diſponente, quamuis pleraque ſuperioribus annis ſint acta; res tamen ipſa perfici ſub illis Pontificibus, atq; abſolui non potuit. Cũ primum igitur humilitas noſtra non noſtris meritis, ſed diuinæ clementiæ abundantia, in excelſa Apoſtolicæ ſolicitudinis ſpecula his difficillimis temporibus eſt conſtituta, ſtatim idem Philippus Rex nulla ex parte reſtincto aut refrigerato fidei ſuæ zelo, nobis per dilectum filium nobilem virum Henricum de Guzman Comitem de Oliuares ſuum

apud Nos, & Sedem Apoſtolicam oratorem magnopere ſupplicandum curauit, vt poſteaquam ea fere omnia, quæ ad acta & proceſſum B. Didaci pertinebant, ex huius ſanctæ Sedis præſcripto confecta erant; Nos, quibus vniuerſalis Eccleſiæ cura eſſet credita, & ad quos ſolos eius rei iudicium pertineret, tam pio & tam ab eius Maieſtate totaq. Hiſpania exoptato operi, quod eſt de eodē B. Didaco Sanctorum catalogo adſcribendo, ſuprēmam manum imponere vellemus. Et nos quidem Regis ipſius religioſum ſtudium, & perſeuerantem hac in re ſedulitatem commendantes, cupiebamus eius piæ petitioni quantum cum Domino liceret, ſatisfacere: tamen pro noſtro paſtoralis muneris officio ſtatuebamus, in re tam graui nulla præpropera feſtinatione vtendum, ſed omnia ex Eccleſiaſtica diſciplina, ex Maiorum noſtrorum ſaluberrimis inſtitutis, ex Apoſtolicæ Sedis circunſpectione diligentiſſime agenda eſſe. Itaque duobus antiquioribus cauſarũ Palatij noſtri Auditoribus doctrina & rerum vſu præſtantibus, ipſis fere primis Pontificatus noſtri diebus mandauimus, vt acta omnia, totumq. proceſſum ſumma cum diligentia perlegerent & examinarent, quo illi in munere menſes complures ſedulo accurateq. verſati, copioſam relationem omnium, ſuamque ſententiam nobis ſcripto tradiderunt. Cum autem Cardinales omnes ab eodem Pio iiij. huic negotio olim præpoſiti
3.Reg.2. viam eſſent vniuerſæ carnis ingreſſi, Nos primo anni ſuperioris menſe, in Conſiſtorio noſtro ſecreto alios in eorum locum ſuffecimus, pietate, prudentia, eruditione, fide nobis probatos, adhuc autem & numero plures prioribus, vt in graui cauſa, prudenti multorum grauium virorum iudicio adhibito, cuncta exquiſitius diſcuterentur. Hi vero fuere more maiorum, ex tribus ordinibus delecti, Venerabiles Fratres Epiſcopi Alexander Oſtienſis Farneſius, Marcus Antonius Præneſtinus Columna, & dilecti filij noſtri Frater Michael Sanctę Mariæ ſupra Mineruam Alexandrinus, Iulius Antonius Sancti Bartholomæi in Inſula Sanctæ Seuerinæ, Antonius SS. Io. & Pauli Carafa, Frater Conſtantius

tius ſancti Petri in Monte aureo titulorum Presbyteri Sarnanus, Ferdinandus Sanctæ Mariæ in via lata de Medicis, & Hieronymus ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi Matthæius nuncupati S.R.E. Cardinales, quibus commiſimus, vt pro rei grauitate, proque ea, quæ Deo cordium ſcrutatori,& nobis quoque in eiuſmodi publico munere obeundo a primarijs Eccleſiæ membris fidelitas & diligentia debetur, acta de fidei integritate, vita, moribus, & miraculis B. Didaci, & Auditorum noſtrorum relationem, quãta maxima fieri poſſet diligentia inſpicerẽt & expenderent, atque ad nos opportuno tempore referrent, vt diuina Spiritus ſancti gratia illuſtrati, de ipſorum & ceterorum Fratrum noſtrorum conſilio, quæ Dei gloriæ, qui iuſtitia & veritas eſt, conſentanea forent, deliberare poſſemus. Multis igitur elapſis menſibus cũ interea Cardinales ipſi frequenter cõgregarentur, acta, proceſſus, rerum geſtarum ſeriem, teſtes, ſingula denique ad ſacrorum Canonum præſcriptum mature & accurate conſiderarent, examinarent, atq; inter ſe conferrent; viros etiam ſacræ Theologiæ & Põtificij iuris ſcientia peritiſſimos in conſilium adhiberent. cum iam omnia parata eſſe intelligeremus, ſecretum Conſiſtorium de more cõuocari iuſſimus, in quo Venerabilis Frater noſter Marcus Antonius Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus ſuo & Collegarum, qui ibidem aſſidebant, nomine, graui & accommodata oratione de omnibus fideliter nobis retulit, quibus explicatis ad extremum dixit, Quãdoquidem B. Didaci fidei integritas, egregiæ virtutes, præclara & inſignia miracula optime eſſent comprobata, ſe & collegas ſuos vnanimes in eam ſententiam veniſſe (ſi ita nobis videretur) vlterius nos progredi, & Beatum illum virum in Sanctorum numero poſſe adſcribere: quorum cum ſententia etiam ceteri Fratres noſtri Cardinales cum a ſingulis graues ſententiæ dictæ eſſent, ad vnum omnes conſenſerunt. Quæ cum audiremus, gaudens erat cor noſtrum in Domino, quod Beati ſerui ſui gloriam quotidie magis patefaceret, omniaque ipſo benedicẽte tam feliciter procederent. Quare in tam ſancto, pio-

Sap. 1.

cto, pioque opere nihil omnino neceſſariæ diligentiæ prætermittentes, ex more inſtitutoque maiorum decreuimus, vt ad vlteriora procederetur: Ac diebus aliquot interpoſitis publicum Conſiſtorium indiximus, in quo præter Cardinales etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi & Prælati omnes, ac familiares noſtri de more interfuerunt. In eo vero dilectus filius Pompeius Arigonius Romanus Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Aduocatus diſertam orationem habuit de vitæ ſanctitate, rebus geſtis & miraculis B. Didaci; & denique catholici Regis, totiuſque Hiſpaniæ nomine, vt eundem B. Didacum tantis meritis illuſtrem Sanctorum nu-
*Prou.21.* mero aggregaremus, nobis humiliter ſupplicauit. Gaudebamus etiam hoc loco in Domino, in cuius manu cor Regis eſt, & quocunque voluerit, inclinat illud. Etenim plane videbamus, non ſine diuino inſtinctu fieri, quod Catholicus Rex, cui multorum Regnorum grauiſſima adminiſtratio a Deo eſt tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc B. Didaci negotio abſoluendo verſaretur, vt in magnis temporum difficultatibus ſe, ſuaque Regna apud Deum noui patroni ſuffragijs & pie & prudenter communiret: quare reſpondimus Philippi Regis Catholici de B. Didaco noſtra, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Sactis adſcribendo tam diuturnam & perſeuerantem poſtulationem dignam eſſe ſingulari eius pietate, dignam perpetuo catholicæ Religionis propagandæ ſtudio; lætari nos & Deo gratias agere, quod Beatos ſeruos ſuos, quos in cælis coronat, a noſtra quoque tenuitate in Terris honorari velit, eoſque nobis ad auxilium & exemplum proponat: Et nos quidem ad pium eius deſiderium explendum propenſiores eſſe; facere tamen rei grauiſſimæ magnitudinem, vt de Regia petitione adhuc cum Fratribus noſtris Cardinalibus & Epiſcopis etiam atque etiam deliberandum cenſeremus: quare eoſdem Fratres hortati ſumus, vt omnia, quæ ad hanc cauſam pertinerent, diligentiſſime conſiderarent; quodq. nos ipſi iam pridem faciebamus, Deum magnopere orarent, vt corda noſtra ſuo lumine colluſtraret, totamq;

hanc

hanc actionem ad ſui gloriam & Eccleſiæ vtilitatem diſponeret, & dirigeret. Hæc cum eſſent acta, alterum item Conſiſtorium ſecretum indiximus, in eoq. etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos in Romana curia præſentes, Protonotarios quoque noſtros, qui ex numero dicuntur, & Rotæ Auditores intereſſe iuſsimus. Tum nos ipſi *Io. 14.*
de ſacroſancta huius Apoſtolicæ Sedis, in qua Dei prouidentia ſedemus, auctoritate & poteſtate, deque Spiritus ſancti ſingulari patrocinio, atque infallibili aſsiſtentia a Deo in omnibus verbis ſuis fideli promiſſa, vſque ad con- *Pſal. 144.*
ſummationem ſæculi perpetuo affutura, quibus guberna- *Matt. vlt.*
tur, ea diximus, quæ cauſæ & temporis ratio potiſsimum requirere videbatur. Demum a Fratribus noſtris petiuimus, vt quoniam alias ſtatutum eſſet, vt ad vlteriora in hoc negotio procederetur, nunc preciſe & expreſſe dicerent, an ex ijs actis, quæ ipſi viderant & audiuerant, Beatus Didacus eſſet canonizandus. Igitur a S. R. E. Cardinalibus primum, deinde a Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis pie, grauiter & erudite ſententijs dictis, omnes vnanimes *Phil. 2.*
idipſum ſentientes dixerunt ſibi videri ex ijs quæ mature ipſi hac de re viderant & audiuerant, B. Didacum a nobis merito inter Sanctos eſſe adſcribendum. Deo autem, qui *Pſal. 132.*
in Domo ſua fratres in vnum habitare facit, gratias agen- *Io. 15.*
tes de tanta fratrum noſtrorum conſenſione, quodque ad ſeruum & amicum ſuum, quantum nobis licet, honorandum corda noſtra impelleret & illuſtraret; cum per eius gratiam hucuſq. omnia rite, atque ordine acta eſſent, quod reliquum erat, diem Canonizationis præſtituimus ad Sextum Nonas Iulij, quo die memoria Viſitationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis ad ſanctam Eliſabeth pie ab Eccleſia recolitur, vt eiuſdem humani generis Aduocatæ patrocinio, tandem pium hoc opus proſpere, & ſalutariter a nobis abſolueretur. Fratres interea noſtros hortati ſumus, vt intermedio tempore vna nobiſcum precibus, eleemoſynis (quas nos & libenter & pie erogauimus, quemadmodum & Regis nomine ab ipſius Oratore factum fuit) ieiunijs,

ſacrificijs

ſacrificiis Dei auxilium inuocare non ceſſarent. Is igitur feſtus Viſitationis dies, ideſt hodiernus cum aduenifſet, Nos & fratres noſtri Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſacris veſtibus induti, inchoato per nos ipſos in noſtra Pontificia Capella Hymno, *Aue maris ſtella*, cantorumq. choro proſequente, vt ipſa, quæ mater eſt gratiæ, nobis præiret & præluceret, ceteris etiam Romanæ Curiæ Prælatis & officialibus, familiaribuſq. noſtris, ac vniuerſo regulari & ſæculari clero longo, deuotoq. ordine progredientibus, omnes ſimul accenſos cereos in mani-
Io. 1. bus geſtantes in eius honorē, qui eſt lux vera, gloria & ſplendor Sanctorum, e Palatio noſtro Apoſtolico ſolemniter proceſſimus ad antiquiſſimam & religioſiſſimam Baſilicam Principis Apoſtolorum, in cuius medio peramplum ſuggeſtum Regio ſumptu extructum erat, paratumq. Altare ad ſacram Pontificalem Miſſam celebrandam, totaq. templi facies in communi Eccleſiæ lætitia hilaris, & Pontificio apparatu decenter ornata, omniaq. ſpiritalibus canticis perſonabant, funalia & faces circumquaq. ardebant, & vexilla appenſa, in quibus beati Viri imago expreſſa erat, qui corpore erecto depictus, dextera manu coronam beatiſſimæ Dei Genitricis, ſiniſtra Crucem inuictiſſimam gerit, & intuetur; cuius nimirum auxilio hoſtes teterrimos carnem, mundum & diabolum ſuperauit. Hic nos in maxima fidelis Populi, totiuſq. adſtantis cleri frequentia, cæleſtis illius & triumphantis Hieruſalem effigiem quamdam nobis ante oculos proponentes, & quantum in hac lacrymarum valle licet, intuentes, conſcenſis gradibus, in ſuggeſtu ante Altare orauimus; mox in ſublimi Apoſtolico Throno conſidentes Fratres noſtros S. R. E. Cardinales & Epiſcopos omnes ſacris veſtibus ornatos & paratos, nobis obedientiam de more præſtantes excepimus: Tum dilectus filius noſter Petrus tituli ſancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Deza Hiſpanus, Catholici Regis Philippi totiuſq. Hiſpaniæ nomine ſemel, iterum & tertio ſuppliciter & inſtantiſſime a nobis petiit, vt beatum Didacum in Sanctorū

numerum

numerum adſcriberemus, noſque ad ſingulas eius petitiones, Regis pietate, & beati Viri meritis collaudatis, ſemper tamen per diſtincta interualla, noſtras totiuſque cleri & Populi orationes, litanias & ſacros hymnos interpoſuimus. Demum cum iam nihil omnino ex his, quę a maioribus pie, ſancteq. ſunt hoc de genere inſtituta, eſſet prætermiſſum, imo potius matura deliberatio, ſummaq. diligentia abundantius adhibita, inuocato ſancto Creatore Spiritu, cuius conſilio & ſapientia Sancta Eccleſia columna, & firmamentum veritatis regitur, eiuſque numen ſępe a nobis ex intimo corde multis etiam lacrymis imploratum, præſens adeſſe non dubitantes. *1. Tim. 3.*

Ad honorem ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; ad exultationem ſupernæ & triumphantis Hieruſalem matris noſtræ; ad exaltationem catholicæ fidei, & Chriſtianæ Religionis augmentum; auctoritate eiuſdem ſanctæ Trinitatis, beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra; de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, omniumq. Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia exiſtentium conſilio, & vnanimi conſenſu, B. Fratrem Didacum de Sancto Nicolao Prouinciæ Bethicæ Hiſpanum ordinem Minorum ſancti Franciſci expreſſe profeſſum, ſepultumq. Compluti in Eccleſia Fratrum eiuſdem ordinis, de cuius fidei puritate, excellentia vitæ, & miraculorum in vita & poſt mortem claritate nobis pleniſſime conſtat, in ſanctorum Confeſſorum numerum, & Catalogum adſcribendum eſſe decreuimus & adſcripſimus, prout per præſentes decernimus & adſcribimus, eumque vt Sanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus: ſtatuentes, vt ab vniuerſali Eccleſia anno quolibet die xij. Nouẽbris Feſtum ipſius, & Officium ſicuti pro vno Sancto Confeſſore tantum ad formam in rubricis Romani Breuiarij præſcriptam deuote celebretur, quodq; in eius honorem Eccleſiæ & Altaria, in quibus Deo ſacrificia offerantur, erigi & fundari poſſint, eademq; auctoritate omnibus vere pænitentibus & confeſſis, qui ſingulis *Gal. 4. Heb. 12.*

annis eodem die Feſto ſupradictam Eccleſiam oppidi Cõplutenſis Toletañ Diœc. vbi ipſius corpus requieſcit, necnon Altaria & Eccleſias, quæ in eius honorem conſtructæ erunt, deuote viſitauerint, eaſdem Indulgentias, priuilegia, & gratias conceſſimus & elargiti ſumus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ ceteris dicti ordinis Sanctorum Eccleſijs conceſſæ ſunt.

Quibus omnibus, quæ ad Sancti Didaci canonizationem pertinebant, abſolutis, ac laudis & gratiarum actionis, Hymno Deo decantato, eiuſque auxilio per Beati Didaci preces peculiari oratione, quam nos clara voce pronunciauimus, implorato; tandem eodem in loco & Altari Miſſam ſolemnem de Beatiſſimæ ſemper Virginis viſitatione cum Beati Didaci commemoratione nos ipſi celebrauimus, fidelibuſque, qui tam piæ & religioſæ actioni, & ſacroſancto ſacrificio deuote interfuerant, ad Dei & Sancti ſui gloriam & laudem plenariam Indulgentiam conceſsimus.

*Tob.12.* Omnes igitur Deum cæli benedicamus, & coram omnibus viuentibus confiteamur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, agnoſcamuſq. non ſine magna Dei prouidentia factum eſſe, vt hiſce afflictis Chriſtianæ Reip. temporibus, quibus maxime multiplici Sãctorum ſuffragio indigemus, nouus hic ſuffragator & patronus fideli Populo tribueretur. Et nos quoque qui in hac paſtorali ſtatione, in qua nos Deus collocauit, de vniuerſi gregis Domini ſalute anxij dies nocteſq. peruigilamus, Dei erga nos ſingularem clementiam agnoſcimus, qui poſt tot annos, poſt tot Beatiſsimos Pontifices prædeceſſores noſtros, nobis humilibus huius magni operis abſolutionem reſeruauerit, qui cũ Sancto ſuo eiuſdem ſeraphicæ religionis communione cõ-
*2.Cor.1.* ſociati ſumus. Quamobrem eundem Patrem miſericordia-
*Luc.1.* rum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, vt per merita & interceſsionem ſancti Didaci Eccleſiæ ſuæ pacem, & tranquillitatem, Regibus & Principibus Chriſtianis vnionem, vitam & felicitatem, miſeris & obcæcatis Hæreticis

lucem

lucem Catholicæ veritatis largiatur. Ceterum quia nimis difficile foret præſentes noſtras originales litteras ad ſingula loca, vbi opus eſſet, deferri; volumus, vt earum tranſumptis etiam impreſsis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem quæ ipſis præſentibus fides vbique adhibeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſsionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, An. Inc. Dominicæ M. D. LXXXVIII. Sexto Non. Iulij, Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

† *Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.*

† Locus Signi.

DE VENTRE MATRIS MEAE TV ES DEVS PROTECTOR MEVS.

†
† *Ego Io. Antonius Epiſc. Portuen. Card. S. Georgij.*
† *Ego Alph. Card. Geſualdus Epiſc. Tuſcul.*
†
†
† *Ego Ptolemæus Card. Comenſis Epiſcopus Albanen.*

† *Ego Marcus Siticus Cardinalis ab Altaemps, tt. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim.*
† *Ego P. Card. Sanctæcrucius, tt. Sancti Clementis.*
†

 † *F. Mi-*

† *F. Michael Bonellus Cardinalis Alexan. tt. Sanctæ Mariæ ſupra Mineruam.*

† *Ego Ludouicus Card. Madrutius, tt. S. Anaſtaſiæ.*

† *Ego Nic. Card. de Pelleue, tt. S. Praxedis.*

† *Iul. Ant. tt. S. Bartholomæi in Inſula presbyter Cardinalis Sanctæ Seuerinæ.*

† *Ego Hieronymus Card. Ruſticucius, tt. S. Suſannæ.*

† *Ego Io. Hieronymus Cardinalis Albanus, tt. S. Io. ante portam Latinam.*

†

†

† *Ego Petrus Cardinalis Dexa, tt. Sancti Hieronymi Illyric.*

†

†

†

† *A. tt. SS. Io. & Pau. presb. Card. Caraſa.*

† *Ego Io. Antonius Card. SS. Quatuor.*

† *Ego Io. Baptiſta Card. Sancti Marcelli.*

†

†

†

† *Ego Fran. Card. de Ioyeuſe, tt. Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio.*

† *Ego Iulius Card. Cananius, tt. Sancti Euſebij.*

† *Ego Nic. tt. S. Cæciliæ Card. Cremon.*

† *Ego Antonius Maria Cardinalis Saluiatus, tt. Sanctæ Mariæ de Pace.*

† *Ego Aug. Card. Veronen. tt. S. Marci.*

† *Ego Vincen. tt. S. Mariæ in Via Card. Montis Regalis.*

† *Ego Phil. Card. Spinula, tt. S. Sabinæ.*

†

†

† *Ego Scipio Cardinalis Lancellotus, tituli Sancti Saluatoris in Lauro.*

† *Ego Vinc. Card. Gonzaga. tt. S. Alexij.*

† *Ego Henricus tt. S. Pudentianæ Card. Caetanus S. R. E. Cam.*

† *Ego*

† *Ego Io. Baptiſta, tituli Sanctæ Mariæ in Aracæli Cardinalis Caſtruccius.*

† *Ego F. Car. Cor. tt. S. Steph. in M. C.*

†

† *Ego Dominicus, tt. S. Laurentij Card. Pinellus.*

† *Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus tt. S. Pancratij Maior Pænitentiarius.*

† *Ego Hieronymus, tituli Sancti Petri ad Vincula Cardinalis de Ruuere.*

† *Ego Phil. Card. de Lenoncourt, tt. S. Honuphrij.*

† *Ego Fr. Hier. tt. S. Thomæ in Parione Card. Aſculan.*

† *Ego Antonius Maria, tt. Sanctæ Agnetis in Agone Cardinalis Peruſinus.*

† *Ego Fr. Conſtantius Cardinalis Sarnanus, tt. Sancti Petri in Monte Aureo.*

† *Ego G. Alanus, tt. S. Martini Card. Anglican.*

† *Ego Scipio, tt, Sanctæ Mariæ de Populo presbyter Cardinalis Gonzaga.*

† *Ego Ant. Card. Saulius, tt. S. Vitalis.*

† *Ego Euangeliſta Cardinalis Cuſentinus, tt. Sancti Matthæi in Merulana.*

†

† *Ego Fr. Stephanus tt. SS. Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis Aretinus.*

†

†

†

†

†

†

† *Ego A. Cardinalis Montaltus, Diaconus S. Euſtachij.*

†

† *Ego Hieronymus S. Mariæ in Coſmedin, Diaconus Cardinalis Matthæius.*

† *Ego Benedictus Sanctæ Agathæ, Diaconus Cardinalis Iuſtinianus.*

OIII † Ego

† *Ego Aſcanius Sanctorum Viti, & Modeſti, Diaconus Cardinalis Columna.*

† *Ego Federicus Sanctæ Mariæ in Domnica, Diaconus Cardinalis Borromeus.*

Tho. Thom. Gualterutius.

*A. de Alexijs.*

Regiſtrata apud eundem Thomam Secretarium.

Anno a Natiuitate Domini Noſtri, Milleſimo Quingenteſimo octuageſimo octauo, Indictione prima, die vero Lunę, Quinta Menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno eius quarto. Retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ, affixæ, publicatæ, & lectę fuerunt ad valuas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, & S. Ioannis Lateranen. de Vrbe, & ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Horatium de Raynaldis, & Io. Baptiſtam Bagni eiuſdem Sanctiſsimi D. N. Papæ Curſ.

*Alex. Parabiachus Magiſter Curſ.*

OFFI-

OFFICIVM EX PRAECEPTO

# S.^MI D. N. SIXTI PAPAE. V.

## RECITANDVM IN FESTO S. DIDACI CONFESSORIS

DIE XII. NOVEMB.

### *AD VESPERAS.*

*Antiph.* Beatus Didacus ſtadium virtutis ingreſſus carnem ſuam laboribus & flagellis, vigilijs ac ieiunijs edomabat. *Pſalmus.* Dixit Dominus

*Antiph.* Orationi ſemper intentus, Dei colloquio iugiter fruebatur. *Pſalmus.* Confitebor.

*Antiph.* In ſchola orationis diuinitus eruditus de rebus cæleſtibus ſenſus mirificos proferebat. *Pſalmus.* Beatus vir.

*Antiph.* Ad inſulas Canarias miſſus infideles multos ad Chriſti fidem verbo, atque exemplo perduxit. *Pſalmus.* Laudate pueri.

*Antiph.* Omnes in ſeruo Dei copioſum charitatis ſpiritum, & ſingularem apud Deum gratiam agnoſcebant. *Pſalmus.* Laudate Dominum omnes gentes.

*Capitulum.*

FRATRES: videte vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes. *1. Cor. 1.*

*Hymnus.*

Fallacis vndas ſæculi
Mundique fugit retia
Ducente Chriſti ſpiritu
Primis ab annis Didacus.

Deſerta

De ſerta dum petit loca,
Corpuſque caſtigat ſuum,
Perfundit illum largius
Cæleſtis imber gratiæ.
Sublime mox ſcandit iugum
Franciſci iter per arduum
Et ſancta per veſtigia,
Seq. arctius ligat Deo.
Immunda quicquid appetit
Miratur, & quicquid caro,
Calcat, relinquit, negligit
Lucretur vt Chriſtum ſibi.
Ieſu tibi ſit gloria,
Qui magna ſolus efficis
Cum Patre & almo Spiritu
Per ſæculorum ſæcula. Amen.

℣. Amauit eum Dominus & ornauit eum.
℟. Stolam Gloriæ induit eum.

*Ad Magnificat Antiphona.*

Tanto beatus Didacus erga Chriſti pauperes amore flagrabat, vt cum illorum calamitates pro voto ſubleuare non poſſet, vim lacrymarum profundens verbis eos dulciſſimis ſolaretur.

*Oratio.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui diſpoſition e mirabili infirma mundi eligis, vt fortia quæq; confundas; concede propitius humilitati noſtræ, vt piis beati Didaci Confeſſoris tui precibus ad perennem in cælis gloriam ſublimari mereatur. Per Dominum noſtrum, &c.

*Ad Matutinas Inuitatorium.*

Deum cui ſemper humilium deprecatio placuit. Venite adoremus. *Pſalmus.* Venite exultemus.

*Hymnus.*

INopem canamus Didacum
Cæli bonis prædiuitem,
Humilem canamus Didacum
Ad celſa vectum ſidera.

Chri

Chriſti potens o dextera
Quæ ſuſcitat de puluere
Egenum,& inter Principes
In ſede ſublimi locat.
En qui reliquit omnia
Felix recepit omnia
Illuſtribus miraculis
Late coruſcat inclytus.
Corpus flagellis ſæpius,
Quod aſperis affixerat,
Odore fragrat plurimo,
Et membra ſanat languida.
Summo Patri ſit luminum
Natoq. Patris gloria,
Et cum beato Spiritu
Cunctis in æuum ſæculis.

*In primo nocturno. Antiphona.*

Cum beatus Didacus ęgrotorum Fratrum Romæ curam gereret,in publica inopia apud Chriſti pauperes omnia abundabant. *Pſalmus.* Beatus vir qui non,&c.

*Antiph.* Seruo ſuo iter agēti mēſam parauit Deus, & vero Iſraelitæ in deſerto cibaria miniſtrauit. *Pſal.* Quare fremue.

*Antiph.* Aegrotos ſigno Crucis obſignans oleo lampadis perungebat,multorum varios languores mirabiliter Crucis virtute ſanabat. *Pſalmus.* Domine quid multiplicati ſunt.

℣. Amauit eum Dominus & ornauit eum.

℞. Stolam glorię induit eum.

Pater noſter. *Abſolutio.* Exaudi Domine.

℣. Iube domne. *Benedictio.* Benedictione perpetua.

De Epiſtola prima beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

*Lectio I.*

VERBVM Crucis pereuntibus quidē ſtultitia eſt: ijs autem qui ſalui fiunt, ideſt nobis, Dei virtuſ eſt. Scriptum eſt enim, Perdam ſapiētiam ſapientium,& prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſæculi? Nonne

ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapiētiam Deum; placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiā quærunt: Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei, virtutem & Dei ſapientiam. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Tu autem domine, &c.

℟. Beatus Didacus in adoleſcentia ſua cœpit Deo ſeruire in timore, & ſimplicitate. * Corpus ſuum caſtigans & in ſeruitutem redigens. ℣. Pænitentis habitu ſuſcepto in ſolitarium locum ſeceſſit. Corpus ſuum caſtigans.

℣. Iube domne. *Benedictio.* Vnigenitus Dei, &c. *Lectio II.*

VIDETE enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: Sed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio: vt (quemadmodum ſcriptum eſt) Qui gloriatur, in Domino glorietur. Tu autem domine, &c.

℟. Seraphici S. Franciſci Religionem profeſſus ſumma humilitate in ea per omnem vitam permanſit. * Vt omnibus præluceret ſanctitatis exemplo. ℣. Tanto ſtudio in regulæ obſeruatione verſabatur. Vt omnibus præluceret.

℣. Iube domne. *Benedictio.* Spiritus ſancti gratia. *Lectio III.*

*Cap. 2.* ET ego cum veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore

more multo fui apud vos: & ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis:vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non huius ſæculi, neq; Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur: Sed loquimur Dei ſapientiã in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quã nemo Principum huius ſæculi cognouit. Tu autem domine, &c.

℞. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cæleſtia Regna. * Et inuentus eſt in numero Sanctorum.

℣. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt. Et inuentus eſt. Gloria patri, &c. Et inuentus eſt.

*In ſecundo Nocturno. Antiphona.*

Puerum e ſuccenſo furno extractum Sanctæ Dei Genitricis auxilio matri incolumẽ repræſentauit. *Pſal.* Cum inuocarẽ.

*Antiphona.* Corpus quod viuens Spiritus ſancti templum fuerat, mortuum non computruit, ſed ſuaui odore omnes mirifice recreabat. *Pſalmus.* Verba mea.

*Antiphona.* Puella ſurda, & muta, & paralyſi debilitata beati Didaci mortui manu tacta illico ſenſus recepit, totoq. corpore eſt roborata. *Pſalmus.* Domine dominus noſter.

℣. Os iuſti meditabitur ſapientiam. ℞. Et lingua eius loquetur iudicium. Pater noſter. *Abſolutio.* Ipſius pietas.

℣. Iube dõne. *Benedictio.* Deus Pater omnipotẽs. *Lect. IIII.*

DIDACVS in oppido ſancti Nicolai de Portu diœceſis Hiſpalenſis in Hiſpania natus, adoleſcens mundi illecebras fugiens pænitentis habitu ſuſcepto, in propinquam, ſolitariam tamen Eccleſiam vna cum pio Sacerdote ſeceſſit; vbi per aliquot annos Deo in timore, & ſimplicitate ſeruiens, corpuſq. ſuum domans, & in ſeruitutem redigens, præclarum ſanctioris vitæ tyrocinium poſuit magna cum Oppidanorum ædificatione. Mox vt ſe ipſum Deo arctioribus vinculis aſtringeret, in Conuentu de Arrizafa fratrum Minorum, qui nunc de obſeruantia nuncupantur, Seraphici ſancti Franciſci religio-

nem eſt profeſſus,in qua per omnem vitam laicus permanſit,in altiſſimæ humilitatis fundamento, ac profunda ſui ipſius deſpicientia ſtabilem ſibi domum ſuper petram ædificans.Tanta autem alacritate ſuaue obedientiæ iugum ferebat,tantoq. ſtudio in regulæ obſeruatione verſabatur,vt eũ omnes tamquam viuam, & expreſſam regularis diſciplinæ imaginem admirarentur. Orationi in primis, & contemplationi deditus erat, miraque Dei luce perfundebatur, vt quamuis nullis litteris expolitus, ſed ſapienter eſſet indoctus;de rebus tamen cæleſtibus admirandum in modum,& plane diuinitus loqueretur. Tu autem domine.

℟. Infirmorum curæ præfectus Fratres ægrotos omnibus charitatis officiis proſequebatur.* Et quorumdam vlcera lambendo abſtergebat. ℣. Eximia in eo fides & gratia curationum eluxit. Et quorumdam,&c.

℣. Iube domne. *Benedictio.* Chriſtus perpetuæ. *Lectio V.*

GVARDIANVS ad Inſulas Canarias miſſus plurimos adhuc infideles ibi cernens martyrij deſiderio exarſit:ſed Deo illũ ſeruante,vt multos Chriſto lucrifaceret,non martyrio voluntas, ſed volũtati martyrium defuit.Multa tamen in ea Canaria,quæ magna appellatur,perpeſſus, complures ex eiſdem infidelibus verbo & exemplo ad Chriſti fidem conuertit. Romam veniens anno Iubilæi,Nicolao Quinto Põtifice Max.cũ Vrbs grauibus morbis,& annonæ inopia laboraret, a Guardiano conuentus Aræcæli ægrotorum curæ præfectus eſt: quo in munere ſingularis viri pietas, & apud Deum gratia magnopere enituit. Eius enim ſanctitati tributum eſt, quod in publicis anguſtiis omnia apud ſuos abundarent.Et quidẽ omni in loco ægrotos Fratres omnibus charitatis officiis ita proſequebatur,vt etiam quorũdam vlcera lambendo abſtergere, quod & alios Sanctos feciſſe legitur,non abhorreret.Eximia in eo fides & gratia curationũ eluxit: nam cum in lãpadem,quæ collucebat ante imaginẽ beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ,quam ſumma deuotione perpetuo coluit, digitũ immiſiſſet,eius oleo ægrotos inungens,ſigno Crucis impreſ

ſo multorum morbos admirabiliter ſanabat. Tu autem,&c.
℟. In ſimplicitate & in ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali.* Sed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo. ℣. Gloria noſtra hæc eſt,teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sed in gratia Dei,&c. ℣. Iube domne.

*Benedictio.* Ignem ſui. *Lectio VI:*

CVm autem in Complutenſi cœnobio,in quo multos annos ſine cuiuſquã offenſione maxima cũ ſanctitatis opinione vixit, in ſupremũ incidiſſet morbum, poſt miram in eo perferendo patientiam,vitæ finem ſibi adeſſe intelligẽs,vt fuit ſemper paupertatis amantiſſimus,tunicam obſoletam & lacerã in qua moreretur a Fratribus obtinuit;qua indutus lignea cruce, quã ad caput habebat,ſingulari humilitate,ac deuotione manibus aſſumpta,coniectis in eam oculis,& intimo pietatis affectu illis verbis ex ſacro Hymno pronunciatis: Dulce lignũ, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere regem cælorum & Dominum,animam Deo reddidit prid.Idus Nouẽbris,Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio.Cuius corpus cum menſes nõ paucos(vt pio ſatisfieret confluentium deſiderio) inſepultũ manſiſſet,non ſolum corruptũ non eſt vlla ex parte, ſed odorem ſuauiſſimũ afflauit. Illum multis & illuſtribus poſt mortem quoque miraculis clarum,Sixtus V. Põtifex Maximus in Sanctorum numerum adſcripſit.Tu autem domine,&c.
℟. Infirma mundi elegit Deus,vt confundat fortia,& ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, * Vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.
℣. Quod ſtultum eſt Dei,ſapientius eſt hominibus.Vt non glorietur. Gloria patri,&c. Vt non glorietur,&c.

*In tertio Nocturno.*

*Antiphona.* Adoleſcens in beati Didaci ſacello orans, & vigilans a miſerabili dæmonis vexatione curatur.
*Pſalmus.* Domine quis habitabit.
*Antiphona.* Meritis beati Didaci parturiens a propinqua morte liberatur,fœtus mortuus ad vitam reuocatur.

*Pſal-*

*Pſalmus.* Domine in virtute tua,&c.
*Antiphona.* Dixit beatus Didacus in ſomni quiete filio Regis: Confide in Domino Princeps, quia ſanus fies, & mox e ſummo vitæ periculo liberatur.
*Pſalmus.* Domini eſt terra,&c.
℣. Lex Dei eius in corde ipſius.
℟. Et non ſupplantabuntur greſſus eius. Pater noſter.
*Abſolutio.* A vinculis. ℣. Iube domne. *Euang. lectio,&c.*
Lectio Euangelij ſecundum Matthæum. *Lectio VII.*
IN illo tempore: Acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælorum? *& reliqua.*
*Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi.*
*Homil. 59* ET aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum,& dixit: Amen dico vobis, niſi cõuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum. Curioſe, inquit, ſcrutamini vos,quis veſtrum maior ſit,& de primatus honore contenditis: ego autem,ſi quis humiliorem ſe ceteris non effecerit,ipſo ingreſſu cæleſti omnino indignum aſſero. Recte autem ante oculos monſtratione paruuli totam rem poſuit,ipſo aſpectu eos cõuertẽs, ac perſuadens, vt abſq; ſimulatione aliqua humilitatem amplectantur. Tu autem dñe.
℟. In Canaria magna cum martyrij palmam ſe conſecuturum ſperaret. * Non martyrio voluntas, ſed voluntati martyrium defuit.
℣. Deo illum reſeruante, vt multos Chriſto lucrifaceret. Non martyrio,&c. ℣. Iube domne benedicere.
*Benedictio.* Cuius feſtum colimus. *Lectio VIII.*
PARVVLI autem non inuidere,nec inanem expectare gloriam, nec primatus deſiderare dignitatem nouerunt: ſed maximam hanc virtutem poſſident,puram dico ſimplicitatem, & humilitatẽ. Non ergo fortitudine tantum ac prudentia,ſed humilitatis quoq; virtute,& ſimplicitate nobis opus eſt: quæ ſi nõ adeſt, ſalus noſtra certe claudicat. Paruuli enim nec ſi contumelientur aut verberentur, afficiuntur odio: nec ſi laudantur
aut

aut honorantur, vlla commouentur arrogantia. Vides quomodo rurſus ad præclara naturæ opera nos prouocat, vt oſtendat poſſe nos voluntatem iſtam nanciſci, & pernicioſam Manichæorum rabiem acuto concidit gladio. Si enim natura per ſe mala eſt, cuius gratia philoſophandi exempla inde trahit? Tu autem domine, &c.

℟. Animam Deo redditurus Cruce manibus aſſumpta ſummo pietatis affectu dicere cœpit. * Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera.

℣. Et in illius ſuauiſſimo amplexu obdormiuit in Domino. Dulce lignum. Gloria patri. Dulce lignum, &c.

℣. Iube domne. *Benedictio.* Ad ſocietatem. *Lectio IX.*

PARVVLVM autem ætate & quidem mea ſententia valde paruulum, qui ab omnibus eſſet paſſionibus liber, in medio ſtatuit. Illa enim ætas omni arrogantia, omni gloriæ inanis furore, omni liuoris inſania, omni contentionis cupiditate, ceterisq. huiuſmodi affectibus immunis eſt. Cũq. præcipuis muniatur virtutibus, ſimplicitatis ſcilicet, & humilitatis, de nulla iſtarũ ſuperbit: ita duplici philoſophia ornatur; nam & hæc bona poſsidet, & nihil ſibi propter hæc arrogat. His de cauſis in medio paruulum ſtatuit. Tu autem domine, &c. Te Deum.

*Ad Laudes & per horas Antiphona.*

Beatus Didacus ſtadium virtutis ingreſſus carnem ſuam laboribus & flagellis, vigiliis ac ieiuniis edomabat.

*Pſalmus.* Dominus regnauit.

*Antiphona.* Orationi ſemper intentus Dei colloquio iugiter fruebatur. *Pſalmus.* Iubilate.

*Antiphona.* In ſchola orationis diuinitus eruditus de rebus cæleſtibus ſenſus mirificos proferebat.

*Pſalmus.* Deus Deus meus.

*Antiph.* Ad inſulas Canarias miſſus, infideles multos ad Chriſti fidem verbo atq. exẽplo perduxit. *Pſal.* Benedicite.

*Antiphona.* Omnes in ſeruo Dei copioſum charitatis ſpiritum, & ſingularem apud Deum gratiam agnoſcebant.

*Pſalmus.* Laudate Dominum de cælis.

Ca-

*Capitulum.*

1. Cor. 1. FRATRES: Videte vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes.

*Hymnus.*

MVndi Redemptor optime,
Qui morte mortem deſtruis
Tuam Crucem ſanctiſſimam
Omnes ad aſtra tollimus.
Dilexit illam Didacus
Amore dulci ſaucius,
Illamq. poſt te fortiter
Conſors triumphi ſuſtulit.
Carnem rebellem comprimens
Eſcam malorũ peſſimam,
Senſuſq. confixit tuæ
Tecum ipſe confixus Cruci.
Tandem ad beata præmia
Athleta fortis euolans
Suaui ſopore ſoluitur
Caræ Crucis complexibus.
Te Chriſte clementiſſime
Veniam precamur ſupplices:
Tu pro tuis fidelibus
Audi precantem Didacum. Amen.

℣. Iuſtum deduxit per vias rectas.
℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

*Ad Benedictus. Antiphona.*

Ad beati Didaci corpus ſurdi audiunt, muti loquuntur, paralytici ſanantur, ab obſeſſis corporibus dæmones expellũtur, ægroti ad vitam ab ipſo mortis limine reuocantur.

*Oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus, &c. *vt ſupra.*

*Ad Tertiam. Antiphona.*

Orationi ſemper intentus, &c.

*Cap.* Fratres: videte vocationem veſtram. *vt ſupra.*

℟. *bre.*

℟.*bre.* Amauit eum Dominus * & ornauit eum. Amauit * Stolam glorię induit eum. Et ornauit eum. Gloria. Amauit.

*Ad Sextam. Antiphona.*

In ſchola orationis. *Capitulum.* Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio: vt (quemadmodum ſcriptum eſt.) Qui gloriatur, in Domino glorietur.

℟.*bre.* Os iuſti * meditabitur ſapientiam. Os iuſti. Et lingua eius loquetur iudicium * Meditabitur. Gloria. Os iuſti.

℣. Lex Dei eius in corde ipſius.

℟. Et non ſupplantabuntur greſſus eius.

*Ad Nonam. Antiphona.* Omnes in ſeruo.

*Capitulum.* Nō enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

℟.*breue.* Lex Dei eius * in corde ipſius. Lex. Et non ſupplātabuntur greſſus eius, In corde. Gloria. Lex.

℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

*Ad Veſperas. Antiphona.*

Beatus Didacus. *cum reliq. de Laud.*

*Pſalmi, Capit. & Hymnus, vt in primis Veſperis.*

℣. Iuſtum deduxit. *vt ſupra.*

*Ad Magnificat Antiphona.*

Beatus Didacus dum tempus ſuæ reſolutionis inſtaret, Crucem amplexus & oſculatus, atque oculis in vitale lignū defixis, & verba illa magno affectu pronuncians: Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna portare regem cælorum & Dominum, ſanctam Deo animam reddidit.

# IN FESTO SANCTI DIDACI CONFESSORIS

## MISSA

*Introitus.*

*Eccleſ. 3.* HVMILIAVIT ſe in omnibus,& coram Deo inuenit gratiam : quoniam magna potentia Dei,& ab humilibus honoratur.

*Pſal. 102.* *Pſalmus.* Benedic anima mea Dominum,& omnia interiora mea nomen ſanctum eius. ℣. Gloria patri. Humiliauit. *Oratio.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui diſpoſitione mirabili infirma mundi eligis, vt fortia quæq; confundas: concede propitius humilitati noſtræ, vt piis beati Didaci Confeſſoris tui precibus ad perennem in cælis gloriam ſublimari mereatur. Per Dominum noſtrum, &c.

Lectio Epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

*1. Cor. 1.* FRATRES: Videte vocationem veſtram: quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mũdi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia & iuſtitia & ſanctificatio & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur. Et ego cum veniſſem ad vos Fratres, veni, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. Nõ enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

*Graduale.* Domine præueniſti eum in benedictionibus dulcedi-

cedinis,poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. ℣. Vitam petiit a te,& tribuiſti ei longitudinem dierũm in ſæculum ſæculi.Haleluia,haleluia. ℣. Iuſtus vt palma flo- rebit:ſicut cedrus libani multiplicabitur, Haleluia.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

IN illo tempore: Acceſſerunt Diſcipuli ad Ie- ſum,dicentes: Quis putas, maior eſt in regno cælorum?Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum,& dixit: Amen dicò vo- bis:niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut par- uuli,non intrabitis in regnum cælorum.Quicũ- que ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte: hic maior eſt in regno cælorum. Et qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit: qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt,expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius,& demergatur in profundum maris. *Cap. 18.*

*Offertorium.*

MIhi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Gal. 4.*

*Secreta.*

HAec hoſtia quæſumus Domine, quam in ſancti Dida- ci Cõfeſſoris tui ſolemnitate offerimus,ipſo etiam in- tercedente & vincula noſtræ prauitatis abſoluat,& tuæ no- bis miſericordiæ dona conciliet. Per Dominum noſtrum.

*Communio.*

TOllite iugum meum ſuper vos, & diſcite a me quia mi- tis ſum & humilis corde,& inuenietis requiem anima- bus veſtris.

*Poſtcommunio.*

DEus qui familiam tuam his ſacrificiis purgatam beati Didaci Confeſſoris tui celebritate lætificas: concede quæſumus, vt eius humilitatis & patientię imitetur veſti- gia, & ad gaudia perueniat ſempiterna.Per Dominum no- ſtrum Ieſum,&c.

# M. ANTONII CARD. COLVMNAE EPISCOPI PRAENESTINI

## *RELATIO*

De vita, & miraculis

*B. F. DIDACI DE S. NICOLAO,*

FACTA

CORAM S. D. N. SIXTO PAPA V. & Cardinalium Collegio.

*In Conſiſtorio ſecreto,*

Die 20. Iunij, Anno M. D. LXXXVIII.

*BEATISSIME PATER,*

*SVperioribus annis, et præſertim anno 1563. ab vniuerſa fere Hiſpania, vna cum ipſius Rege Philippo, & Carolo eius primogenito, humiliter ſupplicatum fuit (ſicut ex litteris & mandatis conſtat) ſanctæ memoriæ Pio Quarto, vt, ſtante celebri fama Fratris Didaci, Laici profeſſi Ordinis Minorum de Obſeruantia, quæ per centum & plures annos in toto illo Regno conſtantiſſima viguerat, ac vigebat, ac illius vitæ ſanctitate, pluribuſque eius miraculis, vnde pro Sancto ab omnibus reputabatur, ac colebatur; vellet Sanctitas ſua committere, vt de ijs omnibus diligens informatio ſumeretur. Quæ ſi vera reperta fuiſſent, Sanctitas ſua illum inter Sanctos connumerandum, & pro Sancto ab vniuerſa Catholica Eccleſia tenendum, ac venerandum ſtatueret. Quibus precibus, & repetitis poſtulationibus, Sanctitas ſua mota, anno ſequenti 1564. Menſe Maio in Conſiſtorio ſecreto totum negotium de more Ioanni Morono, Saraceno, Alexandrino, (qui poſtea Pius V. fuit) Aracæli, & Vitellio, S. R. E. Cardinalibus commiſit, fueruntq.*

*fueruntq. Remiſſoriæ in partibus tranſmiſſæ, & canonice inchoatus Proceſſus, atque ſummaria informatio capta, & ad Curiam, viuente adhuc Pio Quarto, tranſmiſſa. Eius vero morte ſubſecuta, Pio V. ab eodem Rege, & Principe, necnon Gregorio XIII. ſupplicatum fuit, negotium reaſſumi, & ad finem perduci. Sed, cum ijdem etiam Pontifices, antequam hæc omnia perficerentur, vltimum diem vitæ ſuæ ſanctiſſime clauſiſſent, fuit apud Sanctitatem Veſtram eiuſdem Regis Philippi, & Regni nomine per Illuſtrem Comitem de Oliuares Oratorem ſuum ſupplicatum, vt, cum iam omnia, quæ in mandatis data fuerant, circa Proceſſum conficiendum, eſſent perfecta; Cardinaleſq. omnes deputati eſſent vita functi, Sanctitas V. (quæ vicem in terris Ieſu Chriſti gerit, & cui vniuerſalis Eccleſiæ cura commiſſa eſt, & ad quam ſolum hæc negotia ſpectant) pro ſua ſingulari pietate, dignaretur committere, & mandare, vt tam pium, tam ſanctum, & ab vniuerſo Hiſpaniæ Regno deſideratum opus, ad debitum finem perduceretur. Quibus S. V. benigne annuens, de Menſe Iunio 1585. mandauit duobus Rotæ Auditoribus, Io. Baptiſtæ videlicet de Rubeis Decano, & Chriſtophoro Robuſterio, vt, diligenter viſo Proceſſu, & diſcuſſo, Sanctitati V. vt moris eſt, de ſcripto relationem facerent. Quo in negotio cum per multos menſes diligentem nauaſſent operam; tandem relatione, ac voto Sanctitati V. de ſcripto tranſmiſſo, volens conſuetum in ſimilibus ab hac ſancta Sede, & a Prædeceſſoribus Sãctitatis V. modum ſeruare, Die xxiij. Ianuarij Anni præteriti in Conſiſtorio Secreto commiſit Reuerendiſſimo Farneſio Decano, Alexandrino, Sanctæ Seuerinæ, Carafæ, Sarnano, de Medicis, Matthæio, & mihi, vt, viſo omni cum diligentia toto Proceſſu de vita & moribus, & miraculis in eo contentis, relatione Rotæ conſiderata; Sanctitati V. in Conſiſtorio ſecreto de more relationem faceremus, ſententiamq. ac ſuffragium noſtrum explicaremus, vt poſtea Sanctitas V. ſancti Spiritus gratia illuſtrata, quid faciendum iudicauerit, mature deliberare poſſit.*

*Reuerendiſſimis Dominis meis Collegis viſum eſt hoc negotium, licet humeris meis impar, & omnium Dominorum meorum minimo, mihi demandare: quod, ſi placet Sanctitati V. qua maxima breuitate potero, in præſentia præſtare conabor.*

*Tria ſunt, Beatiſſime Pater, quæ in hac hodierna narratione mihi ex-*

*bi explicanda propoſui. Primo de iſtius viri vitæ Sanctitate, & fidei integritate, pertractabo, in quo ( vt Theologorum omnium, & Canoniſtarum eſt ſententia) totius iſtius negotij ſumma conſiſtit. Secundo loco de eius obitu: Tertio de miraculis verba faciam. Et, vt a primo exordiar.*

*In Regno Caſtellæ, & ditione Hiſpalen. oppidum eſt nomine Sãcti Nicolai de portu, in quo ante M C C C C. annum natus eſt B. Didacus, humilibus, ſed Chriſtianis, & magna pietate imbutis parentibus, qui ſimili pietate filium ſuum educare procurarunt. Hunc etſi non genus inſigne, egregiæ tamen ipſius virtutes, ſanctiſſime actæ vitæ documenta, & coruſcantia miracula, non ſolum inſignem, ſed etiam clariſſimum, atque illuſtriſſimum reddiderunt. Nam, cum mortalis huius vitæ pericula, quibus ſæpe anima æternis inuoluitur cruciatibus, perſpecta haberet, ab ineunte ætate totum ſe pijs deuouit operibus, & apud idem oppidum Sancti Nicolai, in quodam Eremitorio ibi propinquo (Sancti Nicolai veteris nuncupato) vna cum pio quodam Sacerdote ſeceſſit, vbi per aliquot annos eremiticam vitam ducens, magna cum totius illius oppidi ædificatione permanſit. Inde cupiens arctioris obedientiæ vinculis alligari, retento eodem pænitentiæ habitu, ad Conuentum de Arrizafa non longe a Corduba diſtantem profectus, ibidem Seraphici ſancti Franciſci habitu recepto, illius religionem expreſſe profeſſus eſt: eiuſque Regulam ſanctiſſime per totam vitam ita inuiolabiliter obſeruauit, vt aperte teſtentur viri omni exceptione maiores, neminem ſe vidiſſe adeo ſuæ Regulæ, & præceptorum obſeruantem. Quia vero Spiritus ſanctus magnum in eo ſanctitatis ædificium ædificaturus erat, primum, ac ſolidum huius ædificij fundamentum in humilitate collocauit; quæ in hoc viro tanta fuit, vt omnes, qui cum illo conuerſabantur, admirarentur: atque hac potiſſimum virtutis armatura munitus, diaboli artes omnes facile ſuperauit. Obedientiæ iugum ſuauiter ferebat. Prælatorum mandata prompte, ac libentiſſime exequebatur. Et, quoniam Regulam ſancti Franciſci ( vt dixi ) profeſſus fuerat, paupertatem, quã in ſua profeſſione vouerat, pie ac religioſe ſemper coluit. Erat in eo magna fides, maxima cum ſpe & charitate coniuncta: Pauperes Ieſu Chriſti, ac proximos ardẽter dilexit. Infirmos, ſi quãdo ſibi occaſio offerebatur, non ſolum omni charitatis officio proſequebatur,*

quebatur, ſed illis die nocteque inſeruiebat, tanta humilitate, ac charitate, vt ſæpius etiam plagas pure plenas lingua lingere non erubuerit, eleemoſynis adiuuabat, & quidquid ex quotidianis cibis in eleemoſynam Monaſterio datis habere, vel ex proprio cibo ſibi ſubtrahere poterat, alacriter eis largiebatur: cum vero non haberet quid illis in eleemoſynam porrigeret, miſericordia commotus, profuſas lacrymas emittebat. Orationi erat intentus. Diſciplinis non ſolum ſe Deo magis gratum reddere procurabat, ſed etiam, vt proximi ſui emendationem vitæ facilius impetraret, corpus ſuum domabat. Ieiunijs fere continuis carnem macerabat, ſed in primis omnibus vigilijs Beatiſſimæ Virginis Mariæ in pane & aqua ieiunabat. Acer erat reprehenſor eorum, qui contra Dei honorem aut Regulam ſancti Franciſci aliquid temere perpetrabant, quam non ſolum ipſe (vt dixi) diligenter obſeruauit, ſed eam ab alijs fratribus inuiolabiliter obſeruari curauit. Nullas vnquam didicerat litteras: ſed, quoniam conuerſatio eius cæleſtis potius erat, quam terrena, cum de rebus diuinis agebat, mirificos proferebat ſenſus, & difficillimarum quæſtionum articulos enodabat; ita, vt inter alios, duo eruditiſſimi & pietate inſignes viri aperte teſtentur, ſæpius illis contigiſſe, vt, rebus difficillimis, & in Theologia abſtruſis quæſtionibus cum illo communicatis, doctiores ſemper euaſiſſe, illarumque quæſtionum ſolutionibus ita mentes ipſorum acquieuiſſe, vt a nullo alio Doctore, nec in vlla Academia id habere potuerint. Illud de hoc Sancto viro valde laudabile commendatur, eum adeo puro, ac ſimplici corde ſemper fuiſſe, vt, ſemper omnia in bonam partem accipiens, numquam male de aliquo iudicauerit, nec contra aliquem vllum malum verbum vnquam protulerit. Prudentiam cum ſimplicitate coniunctam habebat, vnde factũ eſt, vt, cum ad Inſulas Canarias miſſus eſſet, Guardiani officium in illo Monaſterio ſibi demandatum omni cum ſua laude geſſerit. Multos ibidem infideles, & adhuc idola colentes ad fidem Chriſti adduxit; quapropter ingentes in magna Canaria perſecutiones pertulit. Deſiderauit ille pro Chriſti fide martyrium ſubire: & multoties parum abfuit, quin eo bono frueretur: ſed Deo ita ordinante non fuit voti compos effectus.

Reuerſus in Hiſpaniam omnibus charus, & in magna veneratione habitus in conuentu Compluten. vbi multis annis fuit commoratus,

*ratus, annorum plenus, in grauem infirmitatem incidit, ex qua cum ſe iam moriturum cognoſceret, & hora mortis inſtaret, Fratribus, qui in illo Monaſterio aderant, ad ſe vocatis, eos ita verbis amantiſſimis & ſanctitate plenis allocutus eſt, vt ex eorum oculis lacrymas excuſſerit: deinde, arrepta Cruce lignea, quam ad caput habebat, illorum orationibus ſe commendans, conuerſus ad Crucem hæc verba protulit*, Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quę ſola fuiſti digna portare Regem Cęlorum & Dominum. *In quibus verbis animam Deo reddidit. Obijt itaque Compluti in ſuo Monaſterio, die Sabbati 12. Nouembris, 1463.*

*Omnia ſupradicta, Beatiſsime Pater, conſtant per plures teſtes, conteſtes, qui de cauſa ſcientiæ deponunt, quorum aliqui ſunt eiuſdem Religionis Fratres, viri magna eruditione & integritate præditi, & in Religione probati, quique illum per plures annos cognouerunt, & in eodem Monaſterio intrinſece cum illo conuerſati ſunt, quorum etiam duo Guardiani illius Monaſterij fuerunt, & ſub illorum cura beatus iſte vixit: Alij vero vnus ex ordine Prædicatorum: Alter Baccalaureatus gradu inſignitus.*

*Eius vero morte audita, ingens populorum vicinorum concurſus eſt factus, in primiſque vniuerſorum ordinum ampliſsimæ ciuitatis, & inſignis collegij Compluten. Per quattuor dies humatum, & quarto die refoſſum cadauer, iacuit inſepultum per multos dies; non eſt corruptum, non emiſit fœtorem, vt humanorum cadauerum eſt conditio; ſed ſuauiſsimum ſpirans odorem, per multos menſes viſitantium animos magna ſuauitate repleuit, & vſque ad hodiernum diem ſæpe ille odor ex eius ſepulchro ſpirans ſentitur: non riguerunt membra, vt deficiente calore rigere ſolent defunctorum cadauera, ſed veluti viuentis flexibilia erant, & moueri poterant. Similem rem veluti valde mirabilem narrat S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, quod poſt decem menſes integrum fuerit inuentum eius cadauer, & ſuauem ſpirans odorem. Poſt aliquod vero tempus ab huius Beati obitu, Henricus IIII. Caſtellæ Rex, beneficij memor, quod huius Beati Didaci interceſsione & ipſe & eius filia grauiſsime ægrotantes ſanitatem a Deo recuperaſſent, Sacellum in eius honorem ædificari, & in eo intra ferream arcam huius Beati corpus recondi iuſſit, in qua diligenter cuſtoditum fuit, nec vnquam viſum, donec*

*anno*

*anno 1562. ad Principem D. Carolum Compluti ægrotantem adductum, & tunc, cum ex illa arca educeretur, integrum omnino repertum eſt, adeo, vt nec pili quidam albicantes ſuperciliorum illi defuerint. Hæc autem omnia, quæ de odore & corporis integritate dicta ſunt, præter publicam famam, multi teſtes omni exceptione maiores probāt, & inter alios, vnus de Societate Ieſu de viſu teſtatur. Multa miracula tam in vita, quam in morte edidit, ita vt in Proceſſu & informatione tranſmiſſa legantur fere centum triginta, & probentur; ſed pauca quædā viſum eſt Dominis meis Collegis ſeligere, eaque mihi hodierno die narranda dederunt. quorum primum eſt.*

*Fuit in oppido de Duron iuuenis quædam Catharina vocata, quæ cum ingentem paralyſim pateretur, & ſurda etiam euaſiſſet, & muta, nouem diebus vigilias in ſacello Beati Didaci ducens, dum manu eiuſdem Beati tangeretur, ſubito ceſſauit ſurditas, loquela reſtituta, & membra paralytica diſtenſa ſunt, liberaque, & ſana omnino viſa eſt. Quæ omnia per tres teſtes, præter principalis dictum, probantur, qui examinati fuerunt rite, & recte, coram Vicario Archiepiſcopi Toletani: quorum primus eſt Ioannes de Pegnaluer Guardianus, ſecundus Ioannes de Toloſa, tertius Frater Ioannes de Medina.*

*Didacus quidam de Lorca, iuuenis viginti fere annorum, qui per multos annos ſpiritu immūdo detinebatur, ita vt aliquādo ſepties in die illum corriperet, & ad terram illum illidens, veluti mortuum relinquebat, cum ſe Beato Didaco commendaſſet, & in eius Cappella vigilaſſet, omnino liberatus fuit. Quod plene probatur per duos teſtes: quorum primus eſt ipſemet patiens, qui per extenſum, & magna cum ædificatione omnia narrat: ſecundus, qui hæc omnia comprobat, eſt Frater Ioannes de Pegnaluer Guardianus.*

*Catharina Garzia, vxor nobilis viri Bartholomæi Sanchez, cum parturiens in maximo vitæ periculo verſaretur, iamque morti proximam ſe crederet, parte habitus ſibi huius Beati ſuperimpoſita, fœtum emiſit, ſed mortuum; et, cum ita per quattuor horas puella, quam ediderat, ſtetiſſet mortua, eius ſocrus, & maritus illam beato Didaco commendarunt, vt eius precibus vitam puellulæ a Deo impetrarent, ſicut factum eſt. nam illam viuam matri ſuæ reddiderunt, baptizataque fuit, & Maria vocata, & per multos annos vixit. Quæ omnia probantur, præter dictum principalis, per tres teſtes; quorum*

*primus eſt Maria Garzia ſocrus: ſecundus, Bartholomæus Sanchez eius maritus, qui ambo teſtes oculati: tertius Frater Ioannes de Pegnaluer.*

*Et Domina Maria de la Peñuela, quæ tam horrenda & deformi paralyſi fuit affecta cum multis alijs grauiſſimis infirmitatibus, vt neminem ei ſimilem Medici ſe vidiſſe atteſtarentur, mirabili modo ſanata etiam apud ſepulchrum Beati Didaci eſt. cuius beneficij memor virginitatem ſuam Deo vouit in monaſterio S. Ioannis de pænitentia vocato, vbi ſanctiſſimam vitam duxit. Hoc miraculum de Domina Maria de la Peñuela probatur per octoginta fere teſtes, omnes conteſtes, vel de viſu, vel de fama, qui rite, & recte examinati fuerunt.*

*Et denique, cum Carolus Princeps Hiſpaniarum Anno 1562. Compluti ex grauiſſimo caſu grauiter ægrotaret, nec vlla remedia illi profuiſſent, ſed ſemper in deterius rueret, & omni humano auxilio (ſic Medici teſtantur, ac plene probatur) deſtitutus eſſet, eadem illa hora, qua Medici illum moriturum prædixerant, melius habere cœpit, & intra paucas horas interceſſione huius Beati ſanatus eſt. Hæc omnia optime probant Medicorum illum curantium depoſitiones, necnon Patris Mantij eius Confeſſoris; multi alij inſignes & omni exceptione maiores teſtes, præter ipſiuſmet Principis & Regis dictum, qui aperte ſe per interceſſionem huius Beati viri a Deo ſanitatem recuperaſſe & verbis & ſcriptis plures teſtati ſunt.*

*Quare Hiſpaniarum Rex, cum vitam præfati Caroli ſui Primogeniti a Deo ſe per interceſſionem & merita Beati Didaci recuperaſſe cognouiſſet, ſicut dictum eſt, procurauit, & hodie ſupplicat, vt ad laudem omnipotentis Dei, totius Regni conſolationem, augmentum Catholicæ fidei, inter Sanctos referatur.*

*Præter hæc omnia, quæ retuli, quod mirum in modum Reuerendiſſimos Collegas meos ædificauit, & in ſententiam, quam modo dicam, concorditer adduxit, fuit, quod per centum & viginti tres annos ab obitu Beati Didaci, durat tanta erga illum totius illius gentis deuotio, tam frequenter illius opem apud Deum implorant, tot vigiliæ, tot ſacrificia in eius capella celebrantur, tot donaria illuſtriſſima ſoluendi voti cauſa in ea ponuntur, vt certe firmiter credendum ſit, non paſſurum fuiſſe Deum opt. max. vt per tot annos,*

*qui memoriam hominum excedunt, gens illa Hiſpana deuotiſſima, & de Chriſtiana religione optime merita, Clerus, ac Prælati inſigni pietate & doctrina præditi, ſic eſſent decepti, ac deluſi.*

*Pater Beatiſſime, ſanctitatem vitæ Beati Patris Didaci, fidei puritatem & integritatem, egregias virtutes, præclara & inſignia miracula optime probata inuenimus. Quare vnanimes in hanc ſententiam venimus, Sanctitatem veſtram ad vlteriora procedere, atque hunc beatum Virum, quæ ſua eſt feruens deuotio, in Sanctorum numerum referre merito poſſe. Nos tamen omnia correctioni, & iudicio Sanctitatis Veſtræ, & Sanctæ huius Sedis ſubijcimus.*

*Non dubito, Beatiſſime Pater, me in multis in hac narratione defeciſſe: ſupplebunt optime Reuerendiſſimi Domini mei Collegæ. Mihi Sanctitas Veſtra ignoſcat, obſecro, ſi tantæ prouinciæ, tam humeris meis impari, vt debui, atque deſideraui, ſatisfacere non potui.*

# *POMPEII ARIGONII Conſiſtorialis, & Regis Catholici Aduocati*

Oratio de vita, & miraculis B. Fratris Didaci, qua Regis nomine Beatum Didacum canonizari poſtulatur, Habita Romæ in Conſiſtorio publico Die 25. Iunij, 1588.

*CVM multis alijs in rebus Philippus, Hiſpaniarum Rex, ſummam in ſe Dei beneficentiam agnoſcit, tum inter præcipuos Regni theſauros, diuino ſibi beneficio tributos, æſtimat, in ſua ditione viros egregios extitiſſe, qui cæleſtem in terris viuendi rationem ingreſſi, ſibi quidem ad cælum aditum aperuerunt, ceteros autem ſua apud Deum gratia, ſuoque patrocinio tuentur. Quamuis enim, qui humanas haſce curas exuunt, Deo prorſus addicti, non vnam gentem, aut alteram ſolum diligant, ſed diuini inſtar numinis, cuius ſpiritu ducuntur, vniuerſum genus humanum ſuo amore, ac beneuolentia complectantur: tamen proximi cuiuſque maior eſt charitas, ac beatarum mentium benefaciendi voluntas ad omnes, beneficia ad vtentes pertinent: quos ex propinquis frequentiores eſſe, quam ex alienis, neceſſe eſt. Merito igitur pius, vereque Catholicus Hiſpaniarum Rex Beato Didaco in ſua ditione orto præ ceteris gloriatur; cuius & in popularibus opem expertus eſt, & in filio primogenito iam a Medicis omnibus deſtituto, quemadmodum ſuo loco dicemus.*

*De huius ego vitæ ſanctitate, varijſque miraculis; tuo Pater ſancte, Regiſque iuſſu hodie verba facturus, illud in primis oro, ne ex mea tenuitate ſanctiſsimi Viri virtutes æſtimentur: neu mihi conatus, cui me imparem fateor, audaciæ tribuatur: ſed mea potius in re tam ardua voluntas atque alacritas commendetur; imbecillitas, parendique neceſsitas excuſetur. Nam diuina mortali cuiquam aſſequi nefas. nec tamen, quia de diuinis digne dicere nequeas, idcirco nihil omnino dicendum: aut, quia nulla illis oratio ſufficiat, omnis omnino ora-*

no oratio deneganda. Igitur vitam eius & miranda, non omnia ſed pauca de multis, quam breuiſſime, ſimul & veriſſime, dicam. nam ſingula recenſentem dies deficiat.

Et ex his, quæ dicentur; ſatis aperte liquebit, Beatum hunc virum in Sanctorum numerum referendum. Natus eſt beatus Didacus in Prouincia Bethica, in oppido Sancti Nicolai ditionis Hiſpalenſis, honeſtis parentibus & Chriſtianis, quales fuiſſe par eſt, a quibus tantus futurus vir ad pietatem informaretur. Qui vero dies eius natalis fuerit, aut quo menſe, quoue anno in lucem editus, haud ſatis compertum habeo ex ijs, quæ vidimus litterarum monumentis. Sed, quantum ex eiſdem coniectura aſſequi licet, natum eſſe credibile eſt, paulo ante Quadringenteſimo ſupra milleſimum annum a Chriſto nato. Nam, cum ad multam ſenectutem vixerit, & anno Iubilei Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo in Vrbem venerit, ac duodecim poſt annis in cælum migrauerit, neceſſe eſt natiuitatem eius incidiſſe in ea tempora, quæ ſupra memoraui. Cum primæua autem ſapere cœpit, humana omnia diuino cultui poſthabuit. Itaque, ne rerum terreſtrium cura a cæleſtibus contemplandis auocaretur, continuo ſe ab ineunte adoleſcentia in ſolitudinem, hoc eſt, in libertatem vindicauit: atque Eremum patriæ propinquam coluit, ſacerdote quodam ieiuniorum, vigiliarum, continentiæ, atque innocentiæ teſte ac ſocio. Ibi Dei diuinorumque meditatione animum, corpus eleemoſynis ſuſtentabat: dumque Deo corde aut ore gratias ageret, interim manus operi intentæ haud quaquam otio langueſcebant. ſed variae iunipero vaſcula, ſalina, coclearia conficiebat, eaque largiebatur ijs, qui victui neceſſaria ſuppenditabant. ſi quid autem præterea dare vellent, id omnino recuſabat. Tantus in eius moribus elucebat virtutum omnium conſenſus, vt omnium in ſe oculos raperet, omnes excitaret in admirationem ſui. Radix autem virtutum omnium, & quaſi fundamentum humilitas & ſui contemptio; quæque eam ſequitur aliorum hominum charitas: quo nullum aptius vinculum humanæ ſocietatis: nam, qui ſeipſum deſpicit, alios ſuſpicit, is nunquam ſibi plus ſumet, quam ceteris; itaque aut iuſtitiam adeptus iam eſt, aut iuſtitiæ valde propinquus: humilitas in eo tanta erat, vt omnes homines ſibi præferret, inſeruire omnibus cuperet, ſenes, iuuenes, conſilio atque auxilio iuuaret. charitatem autẽ haud

facile

*facile cogitatione aſſequi, ne dum eloqui quiſquam poſsit. Harum virtutum fama cum vicinas vrbes impleſſet, repente ab Eremo diſceſsit, & ſe ad Conuentum de Arrizafa ordinis ſancti Franciſci a Corduba non longe diſtantem contulit, ſeque in illorum ordinem admitti poſtulat, quos vulgo Obſeruantes vocant, inde ad Monaſterium Compluten. eiuſdem ordinis, quod eſt ad ædem ſanctæ Mariæ Ieſu præfectorum iuſsis obtemperans ſe transfert. Hic latior humilitatis campus, vberiorque materia virtutum omnium. nemo conſtantius atque hilarius Religionis illius iugum tulit: nemo exactius omnia illius Regulæ præſcripta ſeruauit, nemo acrius carnis ſtimulos retudit: nemo eam ieiunijs, ac vigilijs, flagellisque fortius macerauit. vtque ingenitos impetus reprimeret, gelidam interdum hyemali tempore aquam ingredi non dubitauit. tam rigida vtebatur caſtigatione corporis, a capite ad talos vſque ſeſe flagellis lacerans, vt nemo humana illam virtute ferri poſſe putaret. Fortunatas aliquando Inſulas petijt, quas Canarias appellant: ibi innumerabiles Canarienſes ad Chriſtianam Religionem, verumque Dei cultum, traduxit, in his Ioannem Alphonſum quendam, qui eo infidelis atque Idolorum cultor e magna Canaria venerat, is deinde duos filios B. Didaco inſtruendos, & vera pietate imbuendos tradidit in magnam inde Canariam profectus, vt incolas ad veram Religionem traheret, magnas ibi Chriſtianæ Religionis propagandæ cauſa perſecutiones pertulit: magno enim ſtudio martyrij ſubeundi tenebatur, niſi illum comites a propoſito auertiſſent, qui vereri ſe dicerent, ne captiui a Canarienſibus detinerentur. horum charitas B. Didacum ab eo conſilio retraxit. Quodque admirationem auget, hæc omnia peragebat nulla excultus doctrina, nullis litterarum ſtudijs eruditus: erat enim illitteratus, quam ob cauſam nullis vmquam ſacris ordinibus initiatus eſt, ſed (vt vocant) Laicus per omnem ætatem manſit. Quin etiam Conchenſi cuidam amico bonarum artium peritiſsimo, alijsque non paucis quæſtiones difficillimas de rebus non ſolum ad ſalutem animæ, ſed etiam ad litterarũ ſtudia ſpectantibus enodabat: quarum illi ſolutionem neque Salamãticæ, neque Lutetiæ, neque alijs in Academijs, in quibus antea ſtudijs operam dederant, inuenire potuerant. Cum autem omnes omnium conſenſu virtutibus omnibus anteiret, præcipue in eo pauperum charitas enitebat. his omnia largiebatur. quid-*

*quid*

*quid vndique ab amicis, a contubernalibus, a notis, ab ignotis accipere poterat, id omne in vſus pauperum erogabat. cumque, quid illis daret, non habebat, vna cum illis eorum miſeriam deplorabat, multisque lacrymis animi ſui dolorem teſtabatur. Mendicorum vlcera ſuis manibus abſtergebat. Romam venit, vt ante dictum eſt, anno Iubilæi: diuertitque in Monaſterium Sancti Franciſci, quod eſt ad ædem Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Aracæli. ingens ibi ægrotorum & languentium numerus: magna inſuper annonæ caritas, & penuria rerum omnium Vrbem inuaſerat. Didacus, ægrotorum cura ſuſcepta, tanta illis charitate, ac diligentia miniſtrabat, tantaque affluentia rerum omnium, vt omnes, in primiſque Monaſterij præfectus, mirarentur vnde illi in tantis aliorum anguſtijs tanta rerum copia ſuppeteret: omneſque opem illam Beati Didaci apud Deum gratiæ acceptam ferebant: omnes Didacum vt virum ſanctum, Deoque gratiſſimũ mirabantur. Complutum tandem rediјt. nam, ſingulas eius actiones perſequi, nimis longum, & prope infinitum eſſet, ibique deinde ad duodecim, aut tredecim annos vixit tanta cum humilitate, atque in Superiores obedientia, tanta præceptorum obſeruantia, tanta vitæ auſteritate, tanto exemplo, vt ab omnibus exiſtimatus fuerit, obſeruatione mandatorum Dei ceteris omnibus, qui vlli vmquam Religioni ſe addixerint, præſtitiſſe. In morbum incidit, qui & illi mortalis huius vitæ finem attulit, atque ad æternam illam ac perennem aditum patefecit. Eius morbi moleſtias tanta conſtantia tulit, vt nullum vmquam doloris indicium dederit. Suauiter aſtantes alloqui, ſolari, veniam offenſionum petere non deſtitit, donec vtroque brachio ſublato, quorum alterum magna vi morbi, quod apoſtema dicitur, immobile fuerat, Crucem amplexus, atque exoſculatus, in illa Hymni verba, Dulce lignum, dulces Clauos, & quæ ſequuntur, animam Deo reddidit, anno poſt Chriſtum natum Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio. Mortuo Didaco, neque artus obriguerunt, & multis menſibus flexibiles manſerunt, vt viuis ſolent. Odoris etiam ſuauiſſimi fragrantia cubiculũ oppleuit. Hodieque is odor a nonnullis plerumque ſentitur, quamquam ſine vllis illum odoribus, aut aromatibus ſepultum fuiſſe conſtat, atque ad eius mortui famam ingens populorum concurſus eſt factus. Scio ego, Pater Beatiſſime, de rebus mirabilibus dicenti plerumque*

*rumque faciles eſſe audientium aures. & alioquin a tædio narrationis defendit officij neceßitas. Verumtamen haud quaquam conceſſa mihi facultate, nec audientium benignitate intemperantius abutar. Sed ex ingenti miraculorum copia, quibus diuinus ille vir in vita claruit, vnum aut alterum breuiter attingam: itemque nonnulla de ceteris, quæ poſt mortem euenere. Quid autem mirabilius referam, quam quod a Monaſterio quodam, quod Hiſpani Cerraie nominant, Hiſpalim profectus, mulieri cuidam filiolum in furno latitantem, ibique ſopore correptum, accenſo dein furno, atque vndique conflagrante, illæſum a flamma ſeruauit. Erat miſere cuidam mulierculæ ſeptennis filius, aut paulo maior, qui ſæpius eius iram metuens aufugere ſolebat. Is, cum die quodam aufugiſſet, non ante diem Dominicum domum rediȷt. tum veritus, ne a matre vapularet, in furno ſe ſe abdidit. nam mater pane coquendo, ſeque & puerum, & reliquam familiam ſuſtentabat. Ibi puerum iacere mater ignorans, furnum veſperi lignis opplet, vt ſummo mane poſtridie incenderet, ac feruefaceret. Tum ſedula mulier, antequam luceſceret, ignem lignis admouet, atque arida ſarmenta tanto impetu flammam corripiunt, vt ſimul & puer excitus clamare inciperet, & repente furnus flammis conflagraret. Quid in tam acerbo filij caſu mater faceret? quod illi auxilium ferret? omni humana ope deſtituta, ſciſſa coma, gemitu, atque vlulatibus domum, ac viciniam omnem complet. res ad Beati Didaci aures peruenit. ille obuiam factus mulierem ſolatur, ac bono animo eſſe iubet. hortatur, vt ad ædem maiorem Beatæ Virginis accedat, eique ſe toto ex animo cōmendet. Non ſecus atque oraculo monita, relicto furno, ac filio, ad maiorem Dei genitricis ædem aduolat. Quid verbis opus eſt? continuo Beatus Didacus, quique illi comes aderat, qui & huius rei teſtimonium perhibuit, in furno illæſum puerum, combuſtis lignis, inuenerunt, adductumque ad ædem, vbi mater orabat, Canonici albis veſtibus in honorem Beatæ Virginis induerunt. Hoc ille miraculo cum Hiſpalenſes omnes obſtupefeciſſet, incredibile dictu eſt, quam ipſe ſibi ſolus humilior, atque abiectior videretur.*

*Ex eodem Monaſterio cum aliquando eodem comite ad oppidum Sanlucar de Barameda, abſque vllo commeatu profectus eſſet, ipſeque & comes longo itinere defeßi in vicum quendam, quem Palatios*

*vulgo*

*vulgo dictitant, diuertiſſent, vt inde ſibi ad victum neceſſaria corrogarent, neque ibi quidquam opis inueniſſent, quo famem ſedarent, longumque adhuc iter ſupereſſet, comitem hortatus, vt in Deo ſpem haberet, alacriter viæ reliquum obibat, varias Deo laudes concinens. Cumque in planitiem quandam amplam perueniſſent, animaduertunt in via prope herbam, quæ Mariſma dicitur, mantile quoddam linteum eximio candore, in eoque panem candidum, ac duos piſces recens coctos, & malum medicum, & inſuper vini vaſculum. Id illi quamquam diuinitus oblatum rati, non confeſtim arripuerunt: ſed, vndequaque circumſpectantes, an quempiam viderent, cuius illa cibaria eſſe poſſent, (erat autem planities maxima, vt non minus decem millibus paſſuum conſpici vndequaque poſſet) vbi neminem viderunt, paratis ſibi dapibus, refecti, Deo gratias egerunt, quodque ſuperfuit, ibidem reliquerunt. Ac Beatus Didacus, comiti gratulatus, quod ſibi Deus neceſſaria ſuppeditaſſet, non ſecus atque filijs Iſrael in deſerto. tantus in eo fidei candor, & quædam, vt ita dixerim, ſimplicitas inerat, vt nihil ſupra. Itaque varias ægrotantium, ac languentium ſpecies, ad ſanctitatis eius famam vndique confluentium, digito lampadis oleo inuncto, ac ſigno Crucis facto, ſanabat. Hæc aliaque innumerabilia ille miracula viuens edidit. Sed & aliquid referamus ex ijs, quæ ſumma omnium admiratione mortem eius conſecuta ſunt, ac potius quotidie conſequuntur.*

*Catharina Martinez, Antonij filia, ex oppido de Duron oriunda, cum muta, ſurdaque eſſet, ac ſemper paralyſi laboraſſet, ad corpus Beati Didaci delata, ac ſigno Crucis eius manu ſignata, repente conualuit: nec tantum ſuis pedibus inceſſit, ſed etiam, Vicario præeunte, hæc verba protulit, Laus Chriſto Ieſu: ſemperque deinceps abſq; vllo impedimento locuta eſt.*

*Iuuenis alius xx. annorum, cum ſpiritu quodam immundo detineretur, ita, vt ſæpius quotidie in terram deſidens, ad puteos rapi ſe diceret, adductus ad Sacellum, in quo Beati Didaci corpus aſſeruatur, ibique dies aliquot moratus, ſanitatem priſtinam recuperauit.*

*Maria Garzia, cuius nurui Catharinæ nomine certa ex partu pernicies aderat, propterea quod infans in vtero tranſuerſus vnum tantum pedem extulerat, in tanto puerperæ diſcrimine Beati Didaci meminit, allatumque veſtis fragmentum, qua Beatus ille vir amictus*

fuerat, & paululum terræ, qua corpus eius tegebatur, nurui ſuperimpoſuit. ita, quæ diem totum in tanto periculo manſerat, continuo partum edidit, mortuum quidem, ſed ipſa mortis periculo liberatá. Tum ſocrus, ex tanto miraculo etiam partui vitam reſtitui præ fidei feruore a Deo petere auſa, vouens, ſi id impetraſſet, in ſacello B. Didaci ſe nouem diebus euigilaturam, voti compos facta, infantem, quæ per quattuor horas mortua fuerat cum reuixiſſet, in ſacro Baptiſmatis lauacro Mariam de ſuo nomine dici voluit.

Aluarus de Gaa Luſitanus, Ancillæ ſuæ miſericordia motus, quæ filiam paucis ante horis mortuam miſerabilem in modum lugebat, eam hortatur, vt puellam ad corpus B. Didaci deferret, atque a Deo peteret, vt ob eius merita vitam filiæ reſtitueret. Ancilla, cum domini monitis paruiſſet, quam puellam exanimem domo extulerat, eam viuentem ac validam domum reduxit.

Quamuis autem mortuos in vitam reuocare inter præcipua Dei miracula cenſeatur; haud ſcio, an maius etiam cenſendum ſit, quod virgini cuidam Hiſpanæ, cui Maria de Pinnuela nomen erat, non vnam tantum vt alijs, ſed multiplicem vitam reddidit, tot illa morbis grauiſſimis laborabat, tam intolerandis febribus vexabatur, tam acribus, atque aſſiduis capitis doloribus torquebatur; vt (ſi ita dici fas eſt) multas quotidie mortes experiretur. adhæc humero, crure, tibia debilitata, multarum corporis partium vſum amiſerat. Tot modis afflictam Virginem cupido inceſſit, quando nulla iam humana ope ſanari ſe poſſe ſperabat, Beati Didaci corpus adeundi, ab eoque auxilium implorandi. Ita, vti petierat, eo delata. quid memorem, quæ puella miranda viderit, atque audierit? Ea nec referre neceſſe habeo, & certis extant grauiſſimorum hominum teſtata monumentis. In ſumma quæ per vndecim menſes varijs cruciatibus exagitatà fuerat, vbi ad Beatum hunc virum acceſſit, & morbum toto corpore depelli, & ſuum membris omnibus vigorem reſtitui ſenſit, ac ſuis pedibus deinceps inceſſit, Deum laudans, ingenteſque Beato Didaco gratias agens, cuius precibus ac meritis a Deo ſalutem impetraſſet. atque hoc noſtra memoria factum eſt, anno humanæ ſalutis Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto.

Huic miraculo recentius aliud ſubijciam, quod pleriq. meminiſtis: factum eſt enim anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecũdo.

Sere-

*Sereniſsimus Hiſpaniarum Princeps Carolus olim adoleſcens, Compluti, cum in Regia luderet, e ſcalis quibuſdam ſupinus cecidit, ac tam grauiter offendit, vt ingens in capite vulnus acciperet. cum & lethale vulnus omnibus videretur, & de ſalute tanti Principis ageretur, exiſtimandum eſt, humaniſsimum Regem, ac liberorum amantiſsimum, nihil intentatum reliquiſſe, quod filio primogenito in tanto diſcrimine adiumento eſſe poſſet. Medicos vndique acceerſit: remedia quæcumque adhiberi poſſunt humanitus, adhibentur. omnia tamen vulneri cedunt. itaque deſperata filij ſalute Rex ſeceſsit. ſepulturæ locus deſtinatur: panni lugubres, funeralia, exequiæ tanto Principe dignæ magna cum cura parantur. Poſtremo tamen aſtantium quorundam animus ad Beatum Didacum ſe conuertit, poſtulatumque eſt, vt eius corpus in Cubiculum Principis deferretur, & prope eum locaretur. Poſtquam id factum eſt, paucarum horarum ſpatio Princeps meliuſcule ſe habere, ac potius reuiuiſcere cœpit: vt omnibus liquido conſtaret, vitam ei non humanitus, ſed Beati Didaci merito diuinitus reſtitutam.*

*Igitur, Beatiſsime Pater, qui ab ineunte ætate ſeſe ab humanis curis omnibus abdicauit, qui vitam ſuam omnem Deo dicauit, qui cæleſtem in terris viuendi rationem coluit, qui charitate in homines, in Deũ pietate ceteris omnibus præſtitit, qui diuinas leges omnes adimpleuit, qui ſuſceptæ Religionis iugum non exacte ſolum, verum etiã iucunde tulit, qui præſcripta eius omnia ac mandata ſeruauit, cuius vitæ ſanctitatem & ex actionibus eius nouimus, & ex innumeris miraculis comprobari quotidie videmus, ex quibus ego tametſi nonnulla recenſui, vix tamen eorum milleſimam partem attigi: quem Deus acceptiſsimum ſibi æterna beatitudine perfrui non obſcuris indicijs, ſed ſignis certiſsimis, clariſsimiſque monſtrauit: quem a Sanctiſsimis Patribus maioribus tuis Pio IIII. Pio V. Gregorio XIII. Pontificibus Maximis, Hiſpaniarum Rex, ac potius Hiſpania tota petijt in Sanctorum numerum referri: quem referendum Sacri Palatij cauſarum Auditores, cauſa ab eiſdem Pontificibus delegata, viri ſapientiſsimi, ac diuini humanique iuris peritiſsimi, cenſuerunt: quem etiam ex hoc ſupremo Chriſtiani orbis Concilio delecti Patres, eadem cauſa diu multumque cognita, ijſdem honoribus dignum iudicarunt: Eundem idem Philippus Hiſpaniarum Rex, non minus re,*

*quam cognomento, Catholicus, Beati Didaci, tuæque gloriæ ſtudioſiſſimus, enixe rogat, Vt Sanctorum numero tandem adſcribi declares: Vt, quorum in cælo conſuetudine fruitur, eorundem numero adſcriptum in terris Eccleſia debitis honoribus ac laudibus proſequatur. Hoc ſi ab vllo ei Pontifice debebatur, abs te, Pater Sancte, præcipue debetur, qui & eandem Regulam coluiſti, & eius vitæ imitatione ad iſtud humanarum rerum faſtigium aſcendiſti. Hoc abs te ſuo quodam modo iure poſtulant pij viri omnes, qui eiuſdem Regulæ contubernio vtuntur, ne huiuſmodi quaſi ſtellarum lumini, quæ in ſancta iſta domo emicant, ignoratione hominum, ac tenebris, officiatur. Hoc abs te Toletana Eccleſia, hoc Complutenſis petit Vniuerſitas, quæ tali Alumno merito gloriantur. Hoc denique Hiſpani omnes, optimum ac ſapientiſſimum Regem ſecuti, ſummis precibus obteſtantur: tibique, atque huius Sanctæ Sedi, perpetuam beneficij memoriam & gratitudinem pollicentur.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*FINIS.*

CATA-

# CATALOGVS
## CAPITVM

*Libri Primi.*

DE ſancti Didaci patria & natalibus, cap.j. pag. 1
Sanctus Didacus iuuenis vitã agit eremiticã, cap.ij. pag. 2
Regulam ſancti Franciſci profitetur, quam toto vitæ tempore inuiolabiliter conſtanterq. ſeruauit. cap.iij. pag. 3
Sanctus Didacus magno ſtudio paupertatem coluit, cap.iiij. pag. 5
De inſigni beati Viri obedientia. cap.v. pag. 6
De mundiſsima ſancti Didaci caſtitate & aſsiduo labore, quo eam ſeruare ſtuduit, cap.vj. pag. 7
De puriſsima cordis ſancti Viri ſimplicitate & munditia, cap.vij. pag. 8
De profundiſsima illius humilitate, cap.viij. pag. 10
De charitate ſancti Didaci erga Deum, proximos & Chriſti pauperes, cap.ix. pag. 11
Aſsiduum S. Didacum in oratione fuiſſe. cap.x. pag. 13
De illius aſsidua pænitentia & continua corporis caſtigatione. cap.xj. pag. 14
De mira beati Viri patientia & in perferendis tribulationibus tolerantia, cap.xij. pag. 15
De magna eius fide & aliquibus miraculis, quæ eam conſecuta ſunt, cap.xiij. pag. 16
S. Didaco iter facienti victus diuinitus offertur. pag. 17
Puerulus e furno ardente liberatur. pag. 19
De profectione eius in Inſulas Canarienſes, & de rebus ibidem geſtis, cap.xiiij. pag. 21
Ex Inſulis Canarienſibus in Hiſpaniam reuerſus Romam proficiſcitur, cap.xv. pag. 24
Reuerſus ab Vrbe in Hiſpaniam, habitat aliquandiu in Conuentu S. Mariæ de Saliceto, cap.xvj. pag. 28
De profectione illius ad Conuentum Complutenſem S. Mariæ de Ieſu, cap.xvij. pag. 29
S. Didaci conuerſatio Compluti, cap.xviij. pag. 30
Humanarum litterarũ ignarus dubia ſoluit difficillima, cap.xix. pag. 31
Signo Crucis multos variis morbis affectos ſanat, cap.xx. pag. 31

## *Libri Secundi.*

De felici ſancti Didaci obitu, cap.j. pag.33
De ſignis quibuſdam & prodigiis, quæ eius obitum conſecuta ſunt, & illius ſepultura, cap.ij. pag.35
Sanctus Didacus exhumatur, multo tempore manet inſepultus, & tandẽ in peculiari Arca reconditur, cap.iij. pag.37
De odore ſuaui, qui e corpore ſancti Didaci emanauit, & ſæpe etiam emanat, cap.iiij. pag.39
De incorruptibilitate corporis ſancti Didaci, & de eius manu, quæ incluſo in arca corpore, in Conuentus Sacrario remanſit, cap.v. pag.42
De multitudine miraculorum, quæ ſancti Didaci interceſsione & meritis eduntur, cap.vj. pag.44
Henricus eius nominis I I I I. Caſtellæ Rex, & Don Alfonſus Carrillus Toletan. Archiepiſcopus, plurimiq. alij Didacum inuiſunt & venerantur, cap.vij. pag.45
Puella pedibus manibusq. capta, ac muta & ſurda miraculo ſanatur, cap.viij. pag.48
Mulieri pluribus annis mutæ ſermo reſtituitur, & lingua ſoluitur in voces, cap.ix. pag.49
Duo quorum alter tremore, alter vnius lateris attractione laborabat, tacto corpore ſancti Didaci ſanantur, cap.x. pag.49
Puer crure contracto liberatur, cap.xj. pag.50
Alteri puero crura habenti arida ſanitas reſtituitur. cap.xij. pag.50
Graui renum dolore oppreſſus liberatur, cap.xiij. pag.51
Mortem infirmo cuidam prædixit Didacus, & vt res ſuas diſponeret, diligenter admonuit, cap.xiiij. ibidem
Ioanna Henrici I I I I. Regis filia oris morbo ſanatur, cap.xv. pag.52
Mulier partus periculo liberatur, & filiam quam edidit mortuam, meritis ſancti Didaci recipit viuam, cap.xvj. pag.53
Cæcus recuperat viſum, cap.xvij. pag.54
Sterilis fit fœcunda, & parit, cap.xviij. pag.55
Malo ſpiritu vexatus liberatur, cap.xix. ibidem
Tres mortui ad vitam reuocati, cap.xx. pag.57
Burgenſis quidam pedibus captus ſanatur, cap.xxj. pag.58
Leproſus mundatur, cap.xxij. ibidem
Vlcere peſsimo laborans ſanatur, cap.xxiij ibidem
Claudus curatur, cap.xxiiij. pag.59
Acri dentium dolore afflicti [illegible] cap.xxv. pag.60
Paſtor Burgenſis crure & brachio aridis ſanatur, cap.xxvj. ibidem

Sanatur

Sanatur quædam, quæ paſmo corripiebatur, cap.xxvij. pag.61
Quædam puſtulis, ſeu variolis laborans, ab extremo vitæ diſcrimine liberatur, cap.xxviij. ibidem
Ægrotans magnis febribus, iamq. morti proximus conualeſcit ex morbo, cap.xxix. pag.62
Captus ſiniſtro latere liberatur, cap.xxx. pag.63
Latere dextro capta liberatur, cap.xxxj. ibidem
Cardiaco morbo affectus ſanatur, cap.xxxij. ibidem
Plaga inueterata laborans ſanatur, cap.xxxiij. pag.64
Febricitans liberatur, cap.xxix. ibidem
Sanctus Didacus multos in vna domo variis infirmitatibus affectos ſanat, cap.xxxv. pag.65
Quædam mulier peculiari affectu ſanctum Didacum colens, ſingularia quædam beneficia aſſecuta eſt, cap.xxxvj. pag.66
Tumidos pedes habens liberatur, cap.xxxvij. pag.67
Gulæ morbo affectus ſanatur, cap.xxxviij. ibidem
Mulier febricitans, combuſto ſuperſtitioſo Chirographo, confeſtim meritis beati Didaci ſanatur, cap.xxxix. ibidem
Vehementi lateris dolore vexatus, inuocato ſancto Didaco ſanatur, cap.xl. pag 69
Puer valde infirmus tacto habitu ſancti Didaci ſanatur, cap.xlj. pag.70
De iumento ſanato. cap.xlij. ibidem
Duo pueri a natiuitate muti loquuntur, cap.xliij. pag.72
Febri cum rigoribus laborans ſubito ſanatur, cap.xliiij. ibidem
Dubitans de miraculis ſancti Didaci grauiſsimo dolore corripitur, & credens liberatur, cap.xlv. pag.73
Alius quidam miraculorum ſancti Didaci incredulus miro edito ſigno credit, cap.xlvj. pag.74
Puella mortua reuocatur ad vitam, cap.xlvij. ibidem
Febricitans ſubito ſanatur, cap.xlviij. pag.75
Item alia grauiter febricitans ſtatim ſanatur, cap.xlix. pag.76
Altero latere captus liberatur, cap.l. ibidem
Cruribus & pedibus captus ſubito ſanatur, cap.lj. pag.77
Plaga inſanabilis occluditur & curatur, cap.lij. ibidem
Quædam poſt partus dolores furioſa remanens ſanatur, cap.liij. pag.78
Toto corpore factus inutilis liberatur, cap.liiij. pag.79
Cæcus & toto corpore captus liberatur, cap.lv. ibidem
Brachium habens fractum & aridum ſanitatem aſſequitur, cap.lvj. pag.80
Quædam grauiſsima infirmitate vexata ſanatur, cap.lvij. pag.81
Multis annis mutus locutionem recipit, cap.lviij. pag.81
Quædam cruribus pedibusq. facta inutilis liberatur, cap.lix. pag.83

Crure

Crure ſiniſtro captus liberatur, cap.lx. pag.84
Puer hernioſus meritis ſancti Didaci ſanatur, cap.lxj. pag.85
Febri papuliſq. laborans ſanatur, cap.lxij. pag.86
Honeſta quędam mulier a medicis deſperata, vbi ſancto Didaco commendatur, conſequitur ſanitatem, cap.lxiij. pag.87
Petrus Gutierrez de Nagera bis miraculo liberatur, cap.lxiv. pag.88
Febri continua laborans ſanatur, cap.lxv. pag.89
Quædam contractis cruribus ſanatur, cap.lxvj. ibidem
Iliorum grauiſsimo dolore vexatus liberatur, cap.lxvij. pag.90
Quidam viſis nonnullis miraculis, ſancti Didaci ſanctitatem teſtantibus, relicto ſæculo religionem profitetur, cap.lxviij. ibidem
Quidam manibus & pedibus captus liberatur, cap.lxix. pag.92
Quidam a medicis derelictus ob multam ſanguinis effuſionem ſanatur, cap.lxx. pag.93
Alius qui ob ſanguinis profluuium iam moriebatur, tacto cingulo ſancti Didaci ſanatur, cap.lxxj. pag.94
Grauiſsima lippitudine laborans ſanatur, cap.lxxij. ibidem
Donna Maria de la Peñuela multis grauiſsimiſq. ægritudinibus affecta mirabiliter liberatur, cap.lxxiij. pag.95
Donna Franciſca de Guſman multis ægritudinibus affecta liberatur, cap.lxxiiij. pag.103
Carolus Hiſpaniarum Princeps a medicis derelictus S. Didaci interceſsione ſanatur, cap.lxxv. pag.105
De ſingulari beneficio quo B. Didacus Frãciſcum Pegñam eius vitæ ſcriptorem affecit, cap.lxxvi. pag.111
Philippus puer Romæ grauiter capite concuſſus, & ardenti febri correptus liberatur, cap.lxxvii. pag.114

## *Libri Tertij.*

De ipſa Canonizationis notione, cap.j. pag.117
De requiſitis ad Canonizationẽ celebrandã, cap.ij. pag.118
Sancti Didaci Canonizationem inſtanter & ſæpe a viris magnis poſtulatam fuiſſe, cap.iij. pag.122
Pius Papa IV. poſt frequentes poſtulationes, re cum Cardinalibus communicata, inquiſitionem in genere fieri deliberat, cap.iv. pag.127
De tranſmiſsione ſummariæ informationis ad Romanam Curiam, cap.v. pag.133
Pius Papa V. audita ſummaria informatione ad vlteriora procedendum decreuit, cap.vj. pag.134

De-

De Compulſoria & Remiſſoria in cauſa Canonizationis ſancti Didaci conceſsis,& in Hiſpaniam trāſmiſsis,& quid illarum robore fuerit factum,cap.vij. pag.135
Sixtus V. Pont. cauſam Canonizationis ſancti Didaci diu intermiſſam tractari denuo iubet, Proceſſum de more aliquod Rotæ Auditoribus iudicandum tradi imperat,cap.viij. pag.138
De relatione Auditorum Rotę facta ſuper proceſſu Canonizationis ſancti Didaci, cap.ix. pag.142
Dominus noſter Sixtus V. cauſæ Canonizationis Beati Didaci quoſdam Cardinales præfecit,vt eam promouerent,cap.x. pag.139
De Cardinalium præfatorum aſsiduo labore, exquiſita diligentia, & ordine quo cauſam Canonizationis ſibi commiſſam tractarunt, eamque peregerunt, cap.xj. pag.140
De Secretario huius cauſę. pag.141
De Aduocato eiuſdem cauſæ. ibidem
De Procuratore cauſæ. pag.142
Ad acta quædam in Curia celebrata recognoſcenda ceteraq. neceſſaria peragenda poteſtas ſit, & iuriſdictio tribuitur eiſdem Cardinalibus, cap.xij. pag.149
De relatione,quam fecit in Conſiſtorio Marcus Antonius Cardinalis Columna, cap.xiij. pag.153
Aduocatus Conſiſtorialis, narrata ſancti Didaci vita & miraculis, nomine Regis Catholici Canonizationem celebrari petit, cap.xiiij. pag.154
Aliud Cōſiſtorium habetur in quo ſanctus Didacus Canonizari decernitur, cap.xv. pag.156
De loco in quo celebrata eſt Canonizatio, & de illius ornatu. cap.xvj. pag.158
De ſolemni Proceſsione, qua Pontifex comitatus ad celebranbrandam Canonizationem acceſsit,cap.xvij. pag.161
Pontifex ad locum Canonizationi deſtinatum peruenit, & Canonizatio ſolemni ritu tandem celebratur,cap.xviij. pag.164
Abſoluta Canonizatione ſolemnis Miſſa a Pōtifice celebratur, fitq. debito ritu Offertorium, cap.xix. pag.171
De ornamentis & veſtibus ſacris,quæ ad Canonizationem ſancti Didaci celebrandam iuſſa ſunt fieri, cap.xx. pag.174
De ornamentis Miniſtrorum. pag.175
Ornamenta Pontificis. pag.176
Dę Cardinalium ac ceterorum Prælatorum, qui Canonizationi interfuerunt, ingenti numero, cap.xxj. pag.177
De Altari ſupra quo Pontifex in ipſo Canonizationis die Miſſam celebrauit, quod peracta Canonizatione cum pio indul-

gen-

gentiarum theſauro ad Regem Catholicum tranſmiſſum eſt. cap.xxij. ibidem
Litteræ Decretales Sixti V. de Canonizatione S. Didaci. pag.182
Officium in Feſto ſancti Didaci recitandum. pag.207
Miſſa in Feſto ſancti Didaci. pag.218
Marci Antonij Cardinalis Columnę Relatio de vita & miraculis ſancti Didaci. pag.220
Pompeij Arigonij Conſiſtorialis & Regis Catholici aduocati Oratio de vita & miraculis ſancti Didaci. pag.228

# REGESTVM.

†ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh

Omnia folia, Hh folium cum dimidio.




ROMAE,
IN AEDIBVS POPVLI ROMANI.
APVD GEORGIVM FERRARIVM.
M D LXXXIX.